SATYRA MANNEIANA

in

Jejunos quosdam Philologos qui limites suos egressi literas & mores ad novam disciplinam revocare, Regum & Subditorum Arbitros se sistere, de modernis turbis Britannis sagaciter prædicere, protervè præsumunt.

Conscripta
â
M. V. M.
Legum Stud. in Acad. Oxoniensi.

ANNO. M. DC. L.

———*Manet hæc ab origine mundi*
Fixa dies bello; populiq; in prælia nati.

Ut ut avertere, eludere cruenta consilia allaboramus, in vanum cedant illa conanima, & sistere Fata aut perrumpere nunquam sustinemus. Circumit Provincias, percurrit terrarum imperia æterna constitutio, & causas rerumq; occasiones modò nectit, solvit; modò oculit, producit; modò interturbat, prout pacem aut bellum cuivis populo addicere, ex decreto allibuit. Torpuerunt quiete Ægyptij, otio effrixerunt Arabes; Hebræi, Græci contra quotidiè exercebantur prælijs, irâ, odio effervescebant, patiebantur excidia. Perennis apud Helvetios administratio, diuturna apud Polonos tranquillitas; apud Florentinos, Hispanos quanti motus, fluctus, nuufragia! Climata cœli terrarumq; temperamenta incusent alii: ecquid quòd in eâdem Repub. pax alta, quies longæva, mox insperata dissidia, bella interneciva? Cogito, cogito: hæreo ad prisca, stupeo, percellor ad moderna exempla;

Et magis infirmo non vacat esse mihi.

Patriam dulcissimam, & omnibus beatiorem terris Britanniam reputo. Situ munitum, regione amœnum, arvis fertile, incolis fœcundum regnum. Fuit armis virisq; robustum, Subditorum in Reges, Regum in Subditos, antiquâ benivolentiâ, observantiâ celebratissimum imperium nostrum. Stetit hâc virtute diutinùm, alienæ dominationis expers, suæ nunquam prodigum. Quas à Romanis & Anglis perpessum fuit mutationes, equidem fuêre quantillum graviores: illos imperandi lascivia nominisq; gloria, etiam in nostrum orbem pelliciebat: hos amicum, sociale nomen invitabat, post læti

adver-

adversus Pictos progressus in hostile vertebant. Occupatum est regnum, multasq; in partes scissum, in nomen & Dominatum Anglicanum coaluit. Descedit deindè, & multo tempore quievit, nisi quòd Regum successio turbas nonnullas Sacrorumq; religio dederat.

Ego quotiens priscam hanc seriem, ac modernam Patriæ meæ imaginem resumo, totiens mihi, omnia Fato agi persuaso, videtur occinere Maro:

Sapè queri & longas in fletum ducere voces

Omnia deficiunt ad illius memoriam; Mens, lingua, stylus stupet, languet, jacet. Et quid? vach ferale, dirum, vach propudiosum Fatum!

Exciderit tanti nunc tibi cura Dei?

O infandum, intolerabile, inexpiabile facinus. Sublimentur Inferi, infimentur Superi, extinguantur sydera, Tartarum ipsum illuminetur. Manes, Umbræ, ô Furiæ! Sed quô me ille Furor? quò me malorum odium?

——————Est verò, ubi silentium sermone
Potius sit: est vorrò, ubi silentio sermo.

Subsileo paululum, diraq; multa vehemente stomacho coquo, quæ postmodùm fervida magis egererem.

Hæc mihi revolventi, difformis quædam & è longinquo roncha vox obsonat

Maturato fugam, atq; ab littore rumpito funes.
Heu fuge crudeles terras, fuge littus ararum!

quæ dissono murmure postmodum exspirabat. Ego verò fugere Æthnæos fratres, horrendum concilium? fugere truces populos, nefarias cohortes? Quisquis es, tibi si audire nefas, mihi tacere profectò onus est. Illis concedere aut parcere, qui nec Regibus, nec civibus, nec sibi, nec posteris pepercêre! Utinam unam modò cervicem haberent, unam animam halarent!

rent! ipse ego ferrum capesserem, ubi ubi essent, vel inferos ipsos perrumperem, percuterem

———— *Mixtumq; genus prolesq; biformes.*

Proh sævos Rhadamantos, vesanos Struthiones, rapaces Gryfos! Tu Pluto tu quoq; Proserpina vindicate perfidiam, circumagite protervia, exstirpate ferociam. O Dii! ô Fatum! tuq; ô Patria mea!

Tanta inter suspiria afflictim commotus, destituebar viribus, & leniter umbellæ acclivis, properè obdormiebam. Mox pristinæ vehementiæ capiebat me pœnitudo: angebar corpore, sudore [frigido] totus perfluebam, audiebam, languida hæc & senilia verba:

Tartareos sine, mitte Deos, & lumine cæcum
Infernum, & ignem infandum, & gelidam Salamandram.

Saltitabat mamilla, & inquietus totis visceribus concutiebar. Expergefactus, animum oculumq; contorqueo, palpito, perquiro umbellam. Et ubi & ubi? dico. Undè hispidi hi cespites, gelidæ hæ rupes? inquio. Quæ fastigiosa hæc saxa, tortuosi gurgites, reciproci sinus? Errore incertus ubi vagarer, tremulus cohorreo, subsisto, contrecto. Antro suspensus decumbere mihi visus, vociferor: ubi gladius? ubi laqueus? certè præcipitium heic capessendum erit.

Denuò vox quædam accidebat ad aures:

Est aliquid spectare Deos & adesse putare,
Et quasi cum vero Numine posse loqui.

Aures advertebam, summa erat tranquillitas, ac si reverendum noctis opacæ secretum. Ad interiora subductus, metuens, pavens perhorresco. Nemine uno repeto. plus timebam, quò d ignorabam. Quid voces sine corpore excidant? perpondero. Aut inter Deos ego, aut inopinatos Lemures relatus, ubi umbræ famulantur? Aut quá apud Trifonium, apud Cumanam in specu, ubi carmine proloquuntur. Scio ludum

mihi

mihi facit Genius meus, qui isto furore meo actitatus, forsit ad Oraculũ se consulit, Fatidicam perdidicit. Ita profectó erit, erit Genius. Loquela indicio est, quæ primiter horrore canora nunc csuavitate mulcida. Ad animum redeo, & quisquis es, in conctanter *dico* mi GenI

Cœpta tene quæso nec in æquore desere navem
Meq; simul serva judiciumq; tuum

Metro respondebam, idq; eodem Ovidiano. Ita oportebat, quòd Graculus Graculo libentiùs assideat.

Ad hæc *ille*, attentatâ manu patulos, gelidos amplexus ingerit, & mi optime infit: exsere manum converte huc oculũ, & quantòcyus diligenter cuncta penetrato. Invitus *ego*, utut difficilis, tamen pareo, leniter cubili me sublevo. Erat tenebiosus &, ceu Lucretius ait.

———— *Spoliatus lumine aer*

Protinùs, dimotâ caligine nebulisq; discussis, medio antro corruscabat sydus: quod face æternum & oleo vivo incombustibile. Hem aliam rerum faciem! Hem novum aliquem orbem! Amplum, magnificum, veré augustum aliquod comitium. Latera versus longinqui & Bipatentes erant recessus. Mediâ viâ cétenæ columnæ, serpentinum in modum varigiatæ; ingens tectum fulciebant, obsidiano lapide translucidũ, eliquato humore spissatum tortuosum, cuneatum. Parietes surgebant præruptis rupibus amfracti, maceriâ & topiario opere, juxta interlabente humore, coaxati. Pavimentum salebrosum varioq; gurgite invium, portentosam admirationẽ adaugebat. Mediis saxis excavati gradus, excavata in ordinem erat orchestra: positi testitudine Indicâ corrusci, atratis cœlaturis curules luscidi

O ultra quam eloqui queam!
O anime mi! quid dicam?
Ultra mira,
Et plusquàm loqui queam hac obvenerunt.

Præ-

Præsidebant multiplici ordine turpati homines, togati, sagati, seminudi, catenis revincti; pallore buxeo, mortuali macie, cruore & cineribus respersa, & multis plagis quasi confecta cadavera. Hic locus est, clamo,

Unde negant redire quemquam,

Orco & furori nunc pœnas dabo, & immissâ in capillos manu, audacter vello. Sic faucibus præclusus, voces undiq; circumstrepere: Discede, & discede! & quid cubas? aspice! & quid agis? cave, fuge, fuge! peribis, peribis, peribis! præmetu clamitare mihi audior. Paro, denuò concido, angor, colluctor, tergiversor. Sed *Genius* graviter me alloquebatur: Perturbari te video mi Adolescens; integer esto, pone metum: est hodiè quòd oportet. Numine ut tangaris. Vel juramento interposito, pro salute meâ se adstringebat.

Quibus labantem me cùm confirmasset, sed quid, *dico*. mi GenI, isti luridi, isti saucii? quòd rebus malè gestis, vestes sciderint, crines sparserint, an de Cremerà, an ex Cannis profugi? Dummodò scis *respondet* quòd

Corpora viva nefas stygià vectare carinà.

Apud inferos te esse, recorderis velim. Sed quæ isthæc, enixissimé *cupio*, deterrima capita? aut quid perpetrarint, quòd crudeliter admodum & turpiter sint habita? Umbræ, *regerit Genius*, quarum corpora civiles inter motus periêre: quali extincta sunt, tali se hìc ostentant, mortis genere. Interrupto ejus sermone, benè, pulchrè, rectè, animosior *exclamabam*. Cæcidisti, cæcidisti, occidisti, occidisti infestam Regio sanguini sceleratam turbam, quæ Patriam, quæ leges nostras pessùm dederat. Equidé, *ad me Genius*, & hos fata sua manent: nunc bona verba,

Accipe & æterno fixum sub pectore serva:
Succensere nefas Patribus, nec fœdior ulla
Culpa, sub extremas fertur mortalibus umbras.
Sic docuere Senes.

Reges

Reges hos ſcias, quos infelix populi manus invaſit, & in vindictam libertatis percuſſit.

Ego in coram reverentior, & in rem omnem curiosè intentus, ſingula perluſtrabam. At quæſo, mi Geni, unum *expeto*: quis ille, qui aſſidet podio, plenior, excelſus, ſaucius, calvus? quis ille effœtus, ſyderoſus, usq; primus in ordine homo? Ex tuniculâ conjicere licet, *reſpondebat*, Romanus eſt Senator; isq; ipſe de quo miles jculariter jactitabat

Urbani ſervate uxores, mœchum calvum adducimus:
Aurum in Galliâ effutuiſti, hic ſumſiſti mutuum.

His enim artibus novus homo alibi quæſivit, alibi perdidit gratiam. Quem ponè à ſiniſtris podii conſpicis, ex illis, quos Romani Barbaros appellant, unus eſt: Sed, ita me Dii! antiqua fide moribusq; integerrimus. *Ego* membris incurvatis, oculisq; contortis diligenter contemplor. Apparebat grandi reatu miraq; triſtitie deforme ſimulachrum, ſemiamictum, pectore tenus ſubucula involutum, tandem capite truncatũ, Dextrâ ſecurim, cæſum caput ſiniſtrâ ferebat, facie oblongum, comis diſcerptum & pendulum, barbâ hirſutum, tricatum. O quæ imago! ingemiſco, ſimulq; ſuborientes lacrumas pollice exprimo.

Interim quid inter inferos illi Romano? *percontabar*, annon cervicibus ejus crinita comparuit, quæ cœlo receptum portenderet? Nimis indulges huic ſpectaculo, mi Adoleſcens: recurre ad te ipſum & antiquos Philoſophos *Genius ajebat*. Nam cujuscunq; anima poſt mortem cœlo addicebatur, umbra ejusdem ad inferos deſcendebat. Epicurum, Platonem, imò Socratem ſic opinari, haud ignoras. Quatuor plerumq; ponebant animas, totidem umbras, has ad hos carceres damnabant, illos inter ſummum æthera infimasq; terras, ad interſita loca, demandabant: Scilicet quòd Dæmonum adminiſtræ mediævè poteſtates ſunt habitæ. Commemini, *inquio*, etiam, iſto-

istorum Pythagoræorum, qui, ternâ migratione, peregrinantes circumducunt per corpora.

Plutibus isthæc volebam: æquè latus mihi hauriebat *Genius*, consyderare jubet Barbarum Regem. Consydero, *inquam*, manus expedit, pateram levat, merum fundit, libat. Quid existimarem? *quærit*. Ego verò: Geniales ritus *puto*. Optimè, *ait*. Enim quòd hodiè coacto ejus de caussâ Senatu, ardua quædam molitur, Manes aut Animam suam de superis interpellat, in opem difficillimi conanimis. Citulè lucida stella in cervices Barbari se demittebat; inde per humerum defluens, sinistrũ brachium argenteo splendore radiatum distinguit, &

Notam jactat de corpore lucem.

Animam Umbramq; ecce! *inquit* quæ junctæ Genium tibi exhibent: cadaver si adforet, integrum haberes hominem. At *ego* ad illam stellulam defixis curiosis oculis, vel præter consuetudinem singula percurro, fasciam periscelidemq; intueor. Jamq; mœstus me delinquebat animus, dum talem in modum caput amputatum, faciem, lineamenta perscrutor. Erat nasus subaduncus os subplenius; oculi ravi, grandiusculi; capilli fluidi, & in nodum decoriter contorti; vultus planè modestus, pulcer, decens. Derepente impar dolori quatio, tundo pectus, summis plangoribus, summis ejulationibus acerbiter quirito, vota nuncupo, preces allego; & mente ac si emotus, cuncta solatia protinus respuo. Carolus, Carolus ubiq; observari: hunc salutare, hunc adorare congenulatus prorepta bam.

Hæc inter strepitus accidebat & fragor: mussitabant, gruniebant, trudebant se veluti sues. Ego diuturni stridoris mora digesto cruciatu, ad animũ redux, arrigo aures & quid illa turba? *quæro*. Commotus admodum Genius, ad scribtionē para te, *infit*: en ceram! en stylum. Formidulosus me *apto*, quòd irruptionem pessimorum satellitum verebar. Quando

sedatior

ſedatior tempeſtas, inſtabam reſponſum. Sed verò *ille ad me:* Brito es, neq; ignorabis CAUSIDICOS locutulejos noſtros. Feſtus hodie dies eſt, & quòd reſcivere de Rege agendum, de nuperrimâ atrocitate queſtum huc convolant, &, an jure cæſus? ut cognoſcatur ſeveriſſimé expetent. Amabó quàm accelerant leges! *& inter ſe magnâ vi brachium tollunt in numerum, verſantq; tenaci forcipe maſſam.* Infeſta ſecuris, *reſpondebam,* diadema Regi caputq; abſtulit: poſt feſtum, poſt feſtum veniunt. Quo dicto effuſiùs ridebam. *Ille* tenacem me jubebat Patrii moris noſtri; tuq; neſcis *ajebat*, quòd inflictâ jam pœnâ demum de culpâ experiamur Britanni. Obſervantiorem me gererem præſentis Senatus paternorumq; Jurium: in ſacro ſenaculo, ſævos inter Britones me cogitarem, haud in ſtabulo aut inter locarios. Hæc fatus, neq; nunc admittentur forenſia iſta pecora, *ſubjiciebat*, quando arcanis conſeſſibus dudum excuneati, ad ſtillicidia & aquæductus damnati, ibi excaventur, obruantur, perpetuâ in ſervitute obſeneſcant oportet.

Nobis ita ſermonantibus, ſenex aliquis caduceo, quem ſæpiùs terrâ quatiebat, & quam viſendo decore mulcebat, raſiſſimâ barbâ munitus, procerus, rugoſus, exeſus, multiplici familiâ præ foribus relictâ, pedetentim intrabat. Ejuſdem veſtigia ſubſequebatur facie triſtis, capitio quadriformis, pallâ per dorſum de cervice pendulus, cujus extimâ laciniâ pondus aliquod geſtare mihi viſus Mi Geni, *inquam,* ille macilentus haud dubie Brutus vel Caſſius aliquis, à quibus vel Cæſar tantopere metuebat. annon? Nunc profectò digladientur pugiones: & abjectâ tabulâ meum grafium acuebam. Non ſic, *reſpondet:* conſilia de armis haud arma ipſa capienda ſunt. Senex hic iſte maximâ apud inferos dignatione fungitur. Orator publicus conſtitutus eſt: adventantes ſalvere umbras, controverſias diſtrahere, jus dicere, cœteraq; inferorum juſſa exſequi hunc oportet. Nunc Carolo Anglo Senatum haben-

te, hic nomine Plutonis præsidebit, mandata exponet, pro Carolo suadebit, & consulta in tabulas referet. Neq; abludis, quòd ac hoc ipso metuisse Cæsarem opinaris: profectò metuit, qui quòd Cicer erat, Cæsari invidebat. Cicero, Cicero! *allucinor.* quid? ille ne populi assertor, potestatis tribunitiæ vindex, Regibus invisus, Regibus infensus, infestos inter percussores qui periit, ille ne pro Carolo, rebus omnibus excusso, intercesserit? olim

Non tulit hanc speciem furiatâ mente Choræbus
Cum se se medium injecit moriturus in agmen

Sed eheu! ——— *Mentes mortalia tangunt.*

Desine mirari, *pergebat Genius,* nunc pro vero obtines, quod de Cicerone sinistrâ famâ suspicabantur plurimi. Scilicet, quem tanti venditabat, nequaquam amore Patriæ, sed privati decoris errore, motus concitasse, suo scelere exspirasse. *Addebat:* & quòd diversarum partium, mox quietus, mox turbulentus, continuo fomite per amicos factiones alebat; adeòq; per omnes provincias infinitam mortalium seriem ad orcum deduxerat; Primicerius inter illos factus est. Qui ejus, iste linteatus vestigia legere & ecce! adverte animum! per ambitus inerrat cunctabundus, Pontificis maximi personam sustinet: totus oculeus prorsùs argutus: sinistrâ laciniâ Sibyllinos, dextrâ refertos Hetruscâ sapientiâ Pompilianos libros gerit.

Confestim susurrus quidam, dein pugnaces & stridulæ voces personabant, quæ sermonem nostrum confundentes novũ in mœrorem me conjiciebant. Revocare animum & mœstum timorem mittere, *Genius* hortabatur;

——— *Forsan & hæc olim meminisse juvabit.*

Pennata hæc pecora scias de grege Epicuræorum, inquit,

Centauri in foribus stabulant, Scyllæq; biformes
Disponunt enses, & scuta latentia condunt.

Magnicrepi sunt PHILOLOGI, iratis oculis, terribili vultu,

grandi.

grandistrepis, vocibus aditum exigunt. Adsunt COMICI, TRAGICI, FABULATORES argutuli, diaculi cum Sanniobus Copreæ. Adsunt aniles, pediculosi Tyranniones DIDACTICI GRAMMATICI, utriusq; linguæ si Diis placet Principes Viri. Quod Athenis & per Græciam alibi, de Theatris, Tabernis & Conciliabulis pompaticè concionabantur: ìtidem nunc heîc ringuntur, ordinant Triumviri, videri volunt & digito monstrari *Magna spes altera Romæ*. Comperière adesse Sibyllinos, adesse Pompilianos, linteis & elephantinis encausto inscribtos: itaq; umbrarum suarum petæsi, etiam his arcanis & divinis dentem immittere, addere, aufferre, interponere aliquid fastuosissimi gestiūt. Theopompus in Bisaltiâ lepores bin a jecora: bina corda in Paphlagoniâ perdices, Theophrastus scripsit. Ennium trina habuisse, vetus est. At quantùm hi superant! Septem, pro numero artium, jecora habere dixerim hos Didacticos; hos Philologos; modò ne cū Gelliano, primæ in docendo celebritatis, Magistro, frequenter insolentiæ, haud rarenter imperitiæ forent obnoxissimi. Satiùs esset theses & declamatiunculas ut describerent, ex laudatis Scholaribus caprum emendicarent; quid analogia & anomalia Grammatica? Prologus & prologium quomodò differant? aut si profundiùs eruditi; Ennius & Andronicus cordatioribus cur semper invisi? die crastini explorarent; quid Rea stupri suspecta lupaq; Romulea? qui Castor & Pollux uno de ovo prodierint Gemelli? portentosè dispungerēt: quàm quòd arcano inaccessoq; templo sacrisq; consiliis se ingerant parùm viri & ore polluti. Facessant, facessant, hinc ocyssimè rebus suis intempestivi, verbis humidissimis difflui sicinnistæ.

Prolixâ acerbâq; oratione commotus, vix à maledictis me temperabam. Utiq; *ajebam*: quemvis suis laborare nævis omnibus in confesso est;

Pastillos Rufillus olet Gorgonius hircum.

Quàm vellem aliter de illis sentires, mi Geni; de illis, qui.

——— Phœbo digna locuti,

Inventas aut qui vitam excoluère per artes.

Qui quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non

Plenius & melius Chrisippo & Crantore docent.

Phulchrè, rectè mones *Genius respondebat*, idq; quàm optimè de sibi persuasêre. Haud ego memor istius carminis: graviter aberrasse me &, ita me Hercules, violasse sacratas potestates doleo;

——— Sic usq; sacras innoxia lauros

Vescar & æternùm sit mihi virginitas.

Mirabar quî ipse, alioquin gravis, heic festivis luderet versiculisq; risum excuteret. Id quòd de vultu meo conjectans, simulq; abblandiens *adjiciebat* hæc paucula: & in inaniis

——— Amant alterna Camœna

Continebam me ad omnia, donec rubore exuto, pudore decocto, veniam verecundè præfatus Geta apud Terentium *dico:*

——— Nihil est, Antipho,

Quin malè narrando possit depravarier:

Tu id, quod boni est, excerpis, dicis, quod mali est.

Absit! absit! citatim *retorquebat Genius.* Nihil bonis detrahimus, nihil malis concedimus. Per nos quemvis suus honos, laus sua manebit suaq; integritas. Pereant! pereant! qui per alienam infamiam nomen aucupantur ad gloriolam. Videlicet, ut exsignatiùs dicam, Aristippum & Diogenem nosti utrumq; Philosophum: sed & nosti utrumq; dissimilem moribus, & disparem famam apud posteros promeritum. Haud omnes qui Thebis fuere Semidii sunt facti; & quasi

Contra hos qui sentiat, nihil sentiat.

Antiquorum morum, adeoq; veteris istius inscribtionis, usquequaq; fui observantissimus: DA-

DATE. TER. FRUCTUM. UT.
TERRA. REDDERE. POSSIT.
AB. ALTERO. SPERES.
ALTERO. QUOD. FECERIS.

Profectò illis mecum ridicula lis foret, qui exigerent, quam nunquam præstitère modestiam. Spei bonæ, locorum ubi oportebat maximè, indulgere vix occeperamus, isti recentem aliorum oblectationem ægris oculis introspicere, suis argutiis lædere, corrumpere, actutùm satagebant. Placidos nos esse decet atq; tranquillos liquidò constat: & injurias cum offensis despicere, ingenuorum id esse oppidò omnes deprædicat. Audi quam contra nunc dicat Cicero; *Qui non defendit, nec obsistit, si potest injuriæ, tam est in vitio quàm si Parentes aut Socios deserat.* Injurias dico? asperè nimis: scommata volebam, quæ apud Macrobium leguntur, *non minus esse amara quam accusatio, si importunè proferantur.*

Et sufficiunt, hæc quidem de Philologorum malitiâ nostrâque modestia. Etiam supra de arrogantiâ illorum inflatâq; inscitia diximus. Porro si te præbes, mi Adolescens, quare hinc exesse jubeantur isti homines ultra edisseram. Ad hæc *ego* mussabam quantillulum. Sed cùm præscissa erat tergiversatio, ausculto *dicebam* Musis benevolentibus. Inducas in animum, submissâ voce *ajebat*, quibus moribus, cujus farinæ hæ gentes. Inter voculas natæ, inter livores educatæ, omnes in literas, literatos omnes, exercent tyrannidem. Modò has lectiones damnant, voces & syllabas periodo movent, doctrinam & mores aliorum in exilium exterminant semifrugis nec dumætatis legitimæ censoruli. Quæso mi Optime hos ne invisos, inflatos, adde rixosos, adde cruentos arduis istis difficillimisquè mox consultandis admittere? Abnuere te existimo. Et sanè nil nisi Senatum interturbarent, Juventutem Britannicam corrumperent;

rent; quód inertiam amando quietem odisse, rebus novandis nunquam non ad rebellionem inclinant. Dementia foret sedendo, trahendo suspiriis aut votis credere, debellari hos posse. Armari verba, copias in planum deducere: prævertendo, divertendo res nostras stabilire, adversas hostium penitùs elidere hoc oportuerit. Tempus non admittit hæc explanare. Ac ut scias ingenium meum à multiloquentiâ affectuumq; origine alienissimum, tutius fecerim magnis nominibus præscribtisque authoritatibus niti. Præstò est S.P.Q.R. qui his omnibus cautissimè prævisis, de illorum ingeniis dexterrimè judicans, olim FANNIO STRABONE ET VALERIO MESSALA COSS. recensuit, ut non modo publicis interdiceret, sed ut POMPONIUS PRT. curaret, uti Romæ Didactici tales prorsus ne essent. Annis aliquot post AENOBARBUS ET CRASSUS CESS. edixerunt, ad verte animum! hæc in verba:

RENUNCIATUM. EST. NOBIS. ESSE. HOMINES. QUI. NOVUM. GENUS. DISCIPLINÆ. INSTITUERUNT. AD QUOS. JUVENTUS. IN. LUDUM. CONVENIAT. EOS. SIBI. NOMEN. IMPOSUISSE. LATINOS, RHETHORAS. &c. &c. HAEC. NOVA. QUAE. PRAETER. MOREM. ET. CONSUETUDINEM. MAJORUM. NOSTRORUM. NEC. PLACENT NEC. RECTA. VIDENTUR. QUAPROPTER. DE. IIS. QUI. EOS. LUDOS. HABENT. ET. EOS. QUI. EO. CONVENIRE. CONSUEVERUNT. VISUM. EST FACIUNDUM. UT. OSTENDEREMUS NOSTRAM. SENTENTIAM. NOBIS. NON. PLACERE.

Quid judicas? quid existimas? Amplissimum ordinem in Se-

natu ſtultum fuiſſe? An quod alia juventutis atq; Reipub. cura? An quod olim diverſi, aut nunc, ab his Latinis Rhetoribus veſtris Dadactici? Hoc unum ſit inſtar omnium: SC. immutabile.

Etiam præter hæc complures, hincinde conquiſitos, ſermones ſpargebat Genius; quando multitudinem de viâ foribusq; ſummotum viator incedebat. Confluebat, fluctuabat literaria iſta frequentia, qui aut uno impetu aditũ ſibi effringeret, aut illum viatoribus præterverteret. Invaleſcebat ſtrepitus, cædebant, coercebant viatores. Eheu, *inquiebam*, Literarum conſultis ſua dignitas, nec virtutem profeſſis honos exſolvitur. Actum de moribus, de Muſis, de Repub. actum eſt: Susq; deq; illane habere debemus? inclamabam Cenſores. *Genius* itidem voce ſublatâ: utinam ajebat reviviſcat Domitianus, qui non de templo vel urbe, ſed omni Italia ejectum, perditum eat iſtos Proletarios. Et, intenſo digito, ecce! ſubjiciebat dilatrantes, lancinantes, proſcindentes quòd malè accepti. Ecce! poſt millena jurgia, millena ſcommata minaces, futiles, leves in pedes ſe conjiciunt, fugam capeſſunt.

Nobis ſic diſſentientibus approximabant Tribuni. Tales ſiquidem ſuſpicabar, quòd loco ſub obſcuro, ad valvas præforibus, ſubſelliis humi admodum poſitis, properè deſidebant: quare & de facie dignoſcere haud licebat.

Me paululùm interquieſcente, *Genius* ad præſentiam Tribunorum ſeriemq; Curulium circum ſpiciëns, nondum ſatis frequens eſt Senatus, dicebat: itaq; reliquum temporis ſeriis ſimul atq; facetiis ut dedicemus, denuò ad te me converto, mi Adoleſcens. Acſi ultra tenere ſe nequiret, miſeret me ætatis tuæ, ajebat, miſeret tuarum virium. Aut profeſſus nomen apud Latinos Rhetores aut profeſſurus ſis, indubiè deceptus es. Dimoveri te patiare ab illorũ partibus, à quibus niſi fuliginoſus,

nosus, nisi syderosus nunquam redieris. Prono in terram vultu tristis & ad parietem sensim aversus, multa mecum volutans, paulisper conticebam. Invitus equidem in hanc arenam descendo *respondebam*; tamen quia tibi allibitum & hoc & aliud militabitur bellum. Tum voce sonosè sublata, hunc in sensum profabar:

Per me *sibi habeant sua regna Reges suas divitias divites*, Perinde ô GenI! manicatam in Sulpitio sinistrè criminabatur, cùm suam non respiciebat à tergo Africanus. Ut ut imperio & milite diutino invicti, tamen superabantur Romani. Aliter ego sum persuasus, &, quod res est, dico: horrescit mihi animus, cum nostrorum Didacticorum intueor opera, nec magno labore, nec magno tempore parta. Gigantes & Persicos Reges congessisse mõtes ac complanasse, fabulatur vetustas: Heîc illos habes, qui quod fidem superaret, patrarunt, & fieri virilia posse puerili conatu, demonstrarunt. Longus aut superfluus sim, si omnia colligam: paucis & illustribus argumentis rem asseram. Vester ordo dispertit per prætextam literas, per caveas describit artes liberales: hîc ad dimensum disidere puer, & ne obloquatur, cogitur. Noster ille destructis classibus, abjectis compedibus, rescissis linguariis post prima literarum rudimenta, per varias scientias, per Bibliothecas exquisitissimas, inter delitias solers, inter solertiam attentus vagatur, peregrinatur copiosus, animosus, felicissim⁹. Quod de Antonio in Cretos proficiscente, idem de ve-
stro

ſtro ordine merito optimo dici poterit. Millena ſibi vincula, catenasq́, compedes millenos fabricari curaverat: non ad bellum, ſed triumfum ſolvebat: poſt rebus turpiter geſtis, pudibundus redux omnium ludibrio ceſſit. Scilicet quod nec frugis, nec operæ probæ. *Iſagogas, theoremata, quæſtiunculas conſarciviſtis; nugalibus Dialecticorum formulis minutiloquiis anxio concipiendi modo multum perſtrepitis*: ad arma ubi deventum fuerit, bonarum rerum vacui militiæq́; expertes concidi-tis. Noſter remotis ſuperfluis, expeditis inutilibus ubiq́; obſervare ubiq; experiri parat. Itaq́; ſuæ rationi beneficiꝰ exempla ipſe in regulam redigit; Bene compos, redacta nitidis verborũ involucris, argutulis commentationibꝰ incruſtat, ſemet demulcet, & auditores dulcorat. Quo fit ut linguâ fluidi, judicio promti, uſu probati delectu per omnẽ frontem ſpectati *Civiles & Politici nos Philoſophi* ſternamus, funeſto Haſtatorum Triariorũq́; ſpectaculo atq́; horrore. Sed deinde & alia nobis veniunt ſubſidio, quæ ad prædictorum ſummam & rei totius lucẽ conferunt quàm plurimũ. Quãta in diſcrimina proh DEUM! juventutem adducitis. Nondum cogitare puer edoctus, recordari illum a digitis: Quantum Diſciplinis; Diſcipulorum animis tantum eſſe inſitum vultis. Quaſi verò cum naturali memoriâ definiri poſſent ſcientiæ; illâ labili, illâ fluxili, quæ ut nata eſt occidit, nec diutius eſſe eodem habitu unquam ſuſtinuit. Hinc i-

terum iterumq; ad præceptiones recurrit, magno ætatis dispendio, exiguo literarum emolumento, æternùm insubidus, æternùm insipidus discipulus. Noster memorativam invenit, quantam quantam artem! Equidem primo intuitu, fateor, exigui solet apparere momenti: ad maturitatem ubi fovetur, universam naturam utero fundere, Græciam & Latium ciere, miscere uberrima ars & potentissima videbitur. Qui terrarum situs depingunt, in brevi quadam tabulâ totam ejus imaginem complectuntur; ipsi illi variis peregrinantium difficultatibus nos sublevant. Verè heic modicis spaciis, ludicis simulachris, breviter, perfectè & affabre compositis Characteribus, uno quasi obtutu, ingẽtem præceptionum molem atq; rationem simul nobis oggerunt. En habes *priscam omniq; probatam antiquitati docendi methodum: habes genuinæ didacticæ normam exactissimam, quam ex Philologiæ principiis, quæ vitæ simul & doctrinæ elegantiam proponit, construximus*. Condimus inibi senili parsimoniâ, promimus juvenili largitione. Stupescunt spectatores, auditores obmutescunt. Nemo cui non dictus Hylas puer! O si!

O! si præteritos referat mihi Jupiter annos

Vix finiveram, illicò *Genius* parumqer præmeditatus, in morem miseranter condolentis, ingrediebatur hunc sermonem:

Emerge, emerge ex istis pedicis, & noli sic decipi ô Adolescens! precorq; quæsoq;. Enim quid hæc nisi

umbram

umbram speciemq; tibi objiciunt, nisi cerebrum sensumq; obtundunt? Utrum Africanus an Sulpitius in crimine? sub judice lis sit. Neq; humanam diffiteor imperfectitudinem. Profiteor nihil à Majoribus adeò purum, defæcatum, pensiculatum prodiisse, quod nõ copiosius, ordinatius, felicius à posteris relinqueretur. Illud volebam præcipuè: quòd, qui cum uno sapit maximè, temeré interdum cœcutiat; quód, quam omnes terunt, viam tutiús calcaveris. Heic neq; impensæ pœnitebit, nisi cum omnibus, neq; prædonum in potestatem veneris, nisi cum omnibus: illic incogitantia præcox & confidentia noxæ creberrimæ foret. Si quid gessistis, referentibus aliis, erit magnificum, vobismet ipsis evanescit rumor, Gigantes & Persici Reges ardua moliebantur scio; at irrito conatu. Videte, videte ne vestra scena similem in eventum desinat & lacrumabilem. Age veró nunc tua argumenta excutere constitui, sed agrestibus sed alienis, Namq; habet apparatus, nescio quid suspicionis; habet propria laus, nescio quid culpæ: habet è contrario simplicitas plurimum innocentiæ; & magnorum nominum præscribtiones

Æternum robur præcipuamq; fidem.

Incusas quòd pueris silentium imponimus, quòd scientias ad dimensum per ætates distribuimus? Nostro præscripto utinam in præsentiarum morem gessisses ô Adolescens! haud unquàm sic absonè, intempestivè pro-

locutus fuisses. Denturientes lacte explere natura constituit; cruda digerere gradatim adsuescimus. Si quæ Semiramis, alite nutrita, ubera posthabuit, scias quòd Matre destitutam urserit necessitas, scias quòd alii Jove, alii Neptuno progneréntur Filii. Perinde odi puerulũ præcocis ingenii, odi qui fluctibus res suas exponunt, ubi in tuto uti fruiq; eisdem debebant. Disciplinarum systemata fuerunt, quæ Peripateticos pariter ac Stoicos præ cœteris sectis tantopere commendarunt. Artium compendia fuerunt quæ Britannos, Germanos & Gallos cœteris Nationibus tantis parasangis anteverterunt. Vosne statuitis Decumani atq; decernitis ut judicium de medio ejiciatur atq: authoritas priscorum: Et sanè ut ne gratia plurimarum gentium consensusq; valeret immò negligeretur ad infamiam usq; novi humulluli vos ne contenderetis? Ego quam debeo reverentiam magnis nominibus exsolvo & Ciceronis sententiam quæ est in fine Partitionum partibus nostris interpono: *Quare hæc tibi sint, mi Fili, quæ exposui, quasi indicia fontium illorum, ad quos sibi nobis eisdem Ducibus aliisve perveneris tum & hæc ipsa melius & multo majora alia cognosces.* Vellem igitur variarum rerum cognitione Cicero Pater à vestris vinceretur didacticis; aut certè pietate & modestiâ Cicero Filius vos vicerit qui in hanc vocem: *Ego verò ac magno quidem studio mi Pater â multis ex tuis præclarissimis muneribus nullum majus expecto*

ſpecto. Vociferentur disrumpantur Pædagoguli veſtri; clamitent *fatalem circa ſcientias ſæculi noſtri morbum, qui nec vitia nec remedia pati poteſt*! Certè cum veſtris Palæmonibus nec natæ nec interituræ ſunt literæ: certè hæc noſtra ſyſtemata

Amabit ſapiens cupientq; cœteri:

certè ſicubi per abuſum pluribus philoſophatus Ennianus, ipſi quoq; venia dabitur promptiſſimè. De Memorativâ inpræſentiarum prætermitterem, nequid in communi felicitate veſtrâ, minus lætum quod eſſet, vobis obloquerer. Nunc in materiem provocatus, aut obnoxius, aut tumidus timidusve viderer ſi prætervi-derem. Poſſe & debere adminiculis ſublevari naturalem reminiſcentiam nemo inficias iverit. Nemo vanitatem artis veſtræ atq; jactationem collaudaverit. Illa ipſa quantam, quantam vos evehitis, abq; naturali tota corruit. Cum belluatis monſtroſisq; colluctatur conceptibus; *pro ſenſuum tenacitate maniam phreneſinq; haud rarò inducit. Videlicet naturalem memoriam rerum innumerabilium atq; verborum imaginibus prægravans naturæ finibus non contentos arte inſanire facit.* Quæ omnia non eo fine dicuntur, ut infamiam ordinis veſtri inflammare conaremur. Invaluiſſe hîc locorum utcunq; aliquam de vobis opinionem novimus, etiam apud extrarios quorundam ſermone percrebuiſſe. Sed ut Tyronibus pernicioſam hanc artem & ſuis Doctoribus

periculosam ostenderemus, in fidem rerum Cornelium Agrippam adduximus. Hujus ulteriora verba cum veniâ tædii vestri, nec absq; insigni voluntate partis nostræ adtexere ut liceat obsecro. *Obscuri homines permulti*, ait, *profitentur hanc artem; sed non reperitur qui in ea multum proficiat & magistri ejus pro lucro infamiam sapè reportant. Solent enim in Gymnasiis plerumq; hujus artis professione nebulones quidam Scholaribus imponere & rei novitate pecuniolam ab incautis emungere: deniq; puerilis gloria est ostentare memoriam: turpe & impudentis est multarum rerum lectionem instar mercimoniorum ante fores explicare cum interim vacua domus sit.* Sed finge hæc aliter se habere: an ideò nos paupertinos vocaveris quòd, fortunâ largius testamentum invidente, paternis facultatibus gauderemus: Didici apud Philosophos eâ re defæcatis animulis rerumq; beatitudini propiùs istos accedere, qui rebus avitis contenti alienis non indigent. Prorsus enim ad aliquam doctrinam moresq; tranquillos habiliores, ut ad natationem, qui onere libertiores sumus. Ita vero apparet quasi enerves, elingues multam in ætatem devehuntur nostri Tyrones: vestri ut rubuerunt â partu, jam ferveant facundia, ferantur judiciis argutissimi homulluli. Sed egregiè fallimini seniores â puerulis. *Doctissimi quiq;*, si ex linguarum immodestiâ literarum commendationem quæsiveritis: Equæ Cantabricæ vento imprægnatæ continuo partu fæcundant Hispaniam,

niam. Ita hæc ætatula laudibus vestrorum sufflata cœteros artium linguarumq; Principes præ se contemnit & gentem omnem togatam veluti rudem sordibus inundat. A cordatis & imperterritis hoc lenocinio famam emercari ægerrimè cum liceat, à popello, à mulierculis emendicare subdolè aggredimini. Loquax, imperita, mobilis est plebecula; hanc penes sistitur Discipulus. De Arimaspis & Hyperboræis, de Pigmæis, Antœcis, Periœcis narrare adigitis: stat illa tremēdis nominibus illaqueata aures arrigit, manus compectinat, naturæ miracula veneratur. Vos, ad rationem redire ne indulgeatis, deperditos, exoletos in fidem rerum pertrahitis Onosicritos, Metrodotos, Hyginos, Æsopos innumerâ turbâ juratos historicos. Popellus doctrinæ ignarus, & fabulorum credulus vestræ loquentiæ memoriæq; majestatem congenulatus adorat. Tum alios assentatione delenire, alios promissis illectare, modó ludis & cibationibus plebis favori studere, per caros, propinquos, emissarios vestros apprimè novistis Euge! hac ne plebejâ voce animati magni req; & opipinione evadere? Hisne vilissimis artibus de victo Literatorum senatu trofæa statuere? Quid refert esse magnæ si parum bonæ famæ? de Manlio Livius ajebat. Cogitate Manlium cogitate Catonem, qui de his postversis similibusq; vestrum quid senserit, in hæc verba acutè pronunciavit: *Nunquam, infit, tacet quem*

morbus

morbus tenet loquendi, tanquam veternosum bibendi atq; dormiendi. Quodsi non conveniunt, convocari jubet. Ita est cupidus orationis, ut conducat qui auscultent. Itaq; auditis, non auscultatis tanquam Pharmacopolam. Namq; ejus verba audiantur verùm ei nemo se committat si ager est. Aliâ quàm vestrâ viâ, ad morum & eloquentiæ disciplinam, ille Cato grassatus, qui nomen severi & Oratoris hæreditarium ad posteros transmisit. Semel Philosophiæ Juriumq; præceptis probissimè pectus subegerat, robur rebus dicendi, nervumq; conciliavit. Iterum de porticibus multorumq; laudationibus longissimùm abfuit. Tertiùm complexus est silentium usq; eò, ubi talia dicere valuit, quæ digna ætate sua, quæ indigna forent silentio. Resipisce, resipisce mi optime. committe te curæ atq; medelæ Catonianæ. Iterum ito obviam tuorum malitiæ, circumage tuorum vesaniam; pro legibus, pro moribus, pro salute Patriæ tuæ devoveas te rogo. Facturum te id spero omnesq, Patriæ amantissimos, nisi civium suorum spemq; famamq; in funere spectare malint atq; in victoriâ & triumfo.

Peractis his sermonibus in me *retrocedebam* tacitè, subitò alienatus ab istis Rhetoribus commovebar animo. Deindé quòd reverentiâ præsentis senatus tangebar admodũ, quòd Philologum aliquem verbis nostris attendere, verebar anxissimè, diutiùs in conquestione morari haud oportebat. Id quod animadvertens *Genius* me inclinantem, ut prorsus subrueret, denuò in hunc sensum disserebat: Esse illud hominum genus vitiis suis obfirmatissimum, &, Dii boni! tantopere induratum,

duratum, ut memoriam probrorum suorum nullatenus sustineat. Esse adeò insidiosum, furibundum, ut mox excandescat; exulceretur & confestim voce, vultu, gestu in sui ultionē aliorumq; necem modò per occultas expeditiones immineat, modô confertissima tela protinus devibret. Sed ita comparatum,

Cui plus licet, quàm par est; plus vult, quàm licet.

Nostri interim sapientibus factorum suorum conscientia amplissimum virtutis & innocentiæ præmium fiet. Jactabar *ego* in metu, cruciabar, stimulabar miserrimus; idque miserior, quòd præter periculorum commenta solatium nullinde affulserat. Et quò dementiæ, præruptâ voce *ajebam*, prolapsi sumus, quod citra suffragium Censores publicos simulamus unaq; opera in invidiam Didacticorū famæq; præcipitium ferimur? Juxtim ad subsellia Tribunorum secedens, viribus commodè magis recolligendis, transversus cubabam.

Per meum adventum excitati *Tribuni* unus ex illis qui sermonem nostrum sagaciter pervestigaverat huncin modum me alloquitur: Cum eruditis vobis res est: nullam ab æquis judicibus periculum. Ab antiquitate hanc dicendi licentiam impetrastis. De Palæmonibus & Tyrannionibus declamationem habuistis Estote bono animo, porrò porròq; egregio vestro secundis velificamini. *Titubabam* ad me redire aut mecum consistere ægrè poteram; aversari potestatem tribunitiam, digito, manu, pede & omni corporis actione opem â Genio implorare. *Genius* verò perpetuùm ridere meas angustias, simulatâque fugâ me semianimē exagitabat. Tandē fervorem animi vultumque asperiorem præ se ferens, me in ope exigendâ nimis vecordem in propulsanda formidine, notabat. Et ego, *ajebat*, novitate rei perterritor, percutior subitaneâ Tribuni præruptaq; monitione. Attamen admoderor mihi, ut tuo contagio ne viribus succumbam. Est Grac-

chus

chus Tiberius, qui genere & eloquentia suo seculo facilè princeps. Iste in capitolio manum ad caput quondam referebat, quo salutem suam populo commendaret: id nobilitas ita accepit quasi diadema regnumq; posceret. Itaque Nasica, sequi jussit, qui salvam rempub. vellent. Gracchum persecutus, oppressit. Sic in libertatem affectati imperii speciosè necatus, ad hunc Senatum Tribunus creatus est. Cæterùm ista verba à Tribuno in nostri patrocinium comparata, ad libertatem in dicéde adæquandam fuerunt efficacissima. Undè rursus *adjiciebat*: si quis sui conscius, aliquid à nobis in se dictum arbitrabitur, ipse de sua nequitie in coram confessus, faciet, asperè nimis intelligendo, ut nihil intellegat. Sed affatim multa filo continuo à nobis pertexta sunt, *subjungebat*; Jam

Lumbi sedendo oculiq; spectando dolent.

Agè paululum feriemur dum se calor noster aliorumq; frangat.

O sermonem utilem mihiq; jucundissimum! Geram tibi morem, idq; gratiis uberrimé actis, ut porrò in hoc erga me affectu persisteret, submissè *rogabam*. Vicissatim tibi gratulor mihiq; gaudio, *Genius replicabat*. Vehementiùs aut inconsultò si quid mihi excidit, facilè ut condones obsecro. Ad gratiam loqui non didici quòd veritatem exambii. Alibi pro tuâ commoditate mihiq; futurâ occasione; hæc ex amussim deducere, venustare; pleniùs expectorare proposui. Simulq; dextris porrectis amorem officiumq; stipulabamur.

Ego iteratis prolixissimè gratiis: quandoquidem ex his fluctibus paulatim enatavi ad tua litora, usq; quibus circumvallor moribus cælare te non debeo. Namq; nostri Didactici quòd in cæteris, *in regiâ quoq; ad jurisprudentiam viâ, haud pauca, quæ difficultate oberant & amfractibus involvunt animos ad magna surgentium, obsistere, sibi videntur*; illa omnia novo ac diversissimo à vobis tramite superaturos se æstimant. Ego de amore nostro certis-

ertissimus vellem mecum super opinione rostrorum dispungeres, labyrinthis districtissimum in planum me deduceres. *Genius*: Quamprimum audiri volueris audiam, te Adolescens amicissime. Pervellere jus civile Magistros vestros sæpiusculè intellexi, ad Philologiæ regulas justum & æquum exigere non sine risu accepi. Si parva magnis rectiùs quandoque comparantur, ex Cicerone in Oratore dixerim: *quod nobis non molesti quàm jucundi, cùm se jus illud nescire confessi fuerunt.* Et ut declarem affectum, quo ducor in te, meum, etiam proximè scribere ingrediar de methodo artium libero homine dignarum & tuo nomini id ipsum nuncupavero. Neq; ad decus acquirendum, nedum mores scholarum taxandos hoc attinuerit. Absit! Siquidem id opus eruditione consumatius, eventu anceps, multorumq; judiciis exitiosissimum. Ad alterum neutiquam natura me tulit; & si tulisset, exstirpassem funditùs dedecus curiosissimum. Sed vacillante adhuc nutanteq; consilio, si dabimus amori nostro, nostrisque literis unicè id dabimus. Quòd ut consequar, prætexti antiquorum tituli, prælata recentiorum suffragia utramq; paginam facient, meq; à vestris obtectationibus masculè defensabunt. *Ego*: Jamne amicitiâ eôtenus conscendimus, ut vel hoc ære tuo liberaliter te mihi obstrinxeris? Mi Geni, nequid in promissis desideretur vide, dubio procul exactorem me habueris insolentissimum *Ille* pressulè me complexus, habeo, habeo te inquit. Quo dicto contenebrabant oculi, fessus pectore ad deliquium spirante relaxabatur animus à diuturno colloquio.

Modicè quieveramus: mox sermo dedecorosus qui ad singulas voces tenebat nos suspensissimos, in hunc ferme sensum exibat: *Tali sydere posteaquam natus, positoq; dextrè fundamento, in omne genus scientiarum inoffenso pede ire potui, fuit hac mea felicitas, ut sortem tuam non experirer. Itaq; cum remoras multas objici, asperamque Tyronibus ad Palladem viam relinqui animadverterem; ego Phi*

lippus, in domo Epaminondæ educatus, in eo desudavi masculè, ut meo conatu, studiis Alexandrorum destinato unicè, rem explanarem confusissimam. Repperi viam planißimamq; rectissimamq; ut nova nec hactenus usurpatâ ratione, perspicuitate summâ, facilitate & brevitate sublevandorum profectuum bono consuluerim. Cuncta rationibus, & illis quidem luculentißimis vel interioribus ita confirmavi, ut nihil à me prætermissum sit, quòd remorari Tyronem, ac desyderari ad genuinum rerum intellectum nunc possit. Sèd quoq; non possum non profiteri, quòd in sublimi hoc opere, ex alienis clariß. virorum lucubrationibus, adduxerim pluscula. Attamen cùm, multa omissa, imò manca ab illis prodière & mutila, subinde alia addere, supplere, alia immutare meæ perspicacitati incubuit. Nomina illorum, ex quibus excerpsi, recitare haud placuit; quòd id ad pompam magis & ostentationem, quàm ad rem meam auditorumq; utilitatem faceret. Tu ne invideto virtuti meæ, & nostrâ felicitate, sis, fruere.

Offendebar, Deus novit, intolerabili hominis fastu; & derepente consilio & quiete excussus in ipsa ejus vocis clausulâ in hæc *erumpebam:* Et quis est ille qui

—longè vicit sapientia cunctos,

qui recondita quæq; cum imperio novisse Dictator, immò suis ipsius suffragiis tantùm non Deus haberi postulat. *Genius* digito labellis admoto in Gracchum protendebat. Ego apud Tribunum, tanquam in officia, re ipsa ut plura expiscarer, per colloquium comiter me sisto: *Gracchus* rerum omnium ignarus, & quasi contra fas adventassem, aut numquid cunctabundus peterem, obliquato latere respiciebat: nihil scire, ajebat, beatissima vita; arrepta insimul purpurâ capite tenus involvitur. Ex tacendi pertinaciâ habitum animi præsagire in proclivi erat. Itaq; propero ad Genium recursu: quantum ad Tribunum, *dicebam,* indubiè fallimur; totus quippe torvescit. Et tanquam negligere vellem, cantilet, cantilet, *addebam,*

———— Inter Delphinos Arion:

vox est prætereaq; nihil; non hæc nos feriet: quare quiescamus denuò.

Genius

Genius ne desinerem inquirere viâ ad fores præmonstratâ, jugiter incitabat, Ad quos accelerans, revulsis impetuosè repagulis, ecce! deprehendo *juvenem*. Erat ex numero novorũ Didacticorum, à viatoribus summotorum, apprimè nobilis olim quo familiariter valdè usus fueram. Breviter sed argutè ut introeat obsecro; & arreptâ pallâ strenuè vellico. *Ille* initio prorsus renitebatur, tandem promptissimus uno pede æque correpserat, cum *Genius* è vestigio perniciter advolaret. Tum paulisper mirabundus; hunc esse necessarium tibiq; familiarissimum planè liquet, *ajebat*, quod me inscio huc pellexeras. Ergò quis? quò? & unde? blande satis, nisi acerbè ex me quærebat. *Ego* cunctatione isteq; advena trepidatione cum malæ conscientiæ suspicionem daremus; *Genius* post risus rictus, Papæ! advenam alloquebatur: Tunc ille staturâ curtatus, ore dissolutus, ferroq; succinctus PÆDAGOGULUS, qui verbera viatorum elapsus, aliorum dicta in tabulam rediges, sub examen mittes jurium peritissimus. Tunc illa ustrina, in quâ artium ferramenta, & in Doctorum perniciem, furcæ conflatæ sunt? Demiror qui, in exhaûsto hoc corpusculo, Democritus cum Heraclito quos nec orbis capiebat, habitare valuerint Ædopol cedro, metallis saxisq; caudinis es perquàm dignissimus. Mi Palumbule salve! ingrediaris amabò: Lyram pulsat Epaminondas, tu adglutinatis auribus ad illam saltabis Lucius. Apage! apage! transfuga, explorator, furcifer, ne collo obtorto, capite obnubto in jus te rapiam, repetundarum postulem.

Ursinis ursam, Columnis redde columnam,
Aquilam imperio; sola catena tua est,

Dictum simulq; abitum.

Ego fugientibus Genii vestigiis pressiùs inhæreo, diu multumq; mecum delibero, quo leniore affamine iram susceptã mitigarem. Quemadmodum

Obvertunt navem magno cum pondere nautæ:

pariter de improviso gradu contorto ordiebatur *Genius.*

Enimvero ô Adolescens multimodis cum isthoc animo es vituperandus

Itane hinc abiisse & Vitam tuam tutandam aliis dedisse.

Tempestivè in mentem *mihi* veniebant Poetæ Ovidii verba:

Da veniam culpæ: ne, dum degrandinat, obsit

Agristi Fauno supposuisse pecus.

Nec noceat turbasse lacus, ignoscite Nymphæ,

Mota quòd obscuras ungula fecit aquas.

Lugeo, deprecor: cessabo posthac, cessabo tuorumq; meritorum geram me studiosissimum. Jamq; æstus ejus defervere mihi visus, & ut prorsus subsideret, aptatis digressiunculis os sublinire, continuato sermone affectum fatigare, traducere, consultissimum rebar. Arcessivi illum ad venam *dico,* non quòd de te aliquid ipsi concrederem; Deus prohibeat! modò: quòd ambiebat nostrum consortium, unicè experiundi vel tentandi gratiâ tuis quæstiunculis illum destinaveram. Scio rerum novarum te cupidum, & illum ad quasvis COGITATIONES SUBITANEAS profusissimum. Si comiter oppidò compellatus fuisset advena, illicò in multa protuberasset arcana, in multas DE METHODO deflagrasset fabulas. Resciviisses quas, illi Liberi Patris Cererisq; Pastophori, incognitas exuvias domi suæ asservent, quas illi procul omnibus profanis tacitè venerentur.

Namq; nuperrimè Themidis sacris initiatus, cùm in pleniorem erga Deam notitiam penetrasse sibi persuaserat suflenus sibi placere cœpit stultissimè. Brevi post ex Philologiæ principiis ANNOTATIONES JUSTINIANEAS.

In cælum victor magnum sub culmine portat.

Rationes quas inibi adhibuit, *puta in errores & luculentissimas,* à Trebatio deperditas, à Cicerone restitutas, à Treboniano omissas

missas opera curaq; sua suæ luci restituit. *Omnia impendiosissimâ methodo irradiata, philologica paraphrasi illustrata, vel tribus* mensibus, quis crederet? denturientes puerili JCTI futuri sunt. Porrò ut Phaetontem ipsum & cuncta honorum culmina superaret spem Quadrigarum novam & operum edendorum fecit nobis versutissimam. Ac ut pulchrè memineris, per dierum noctiumq; vicissitudinem fabulam suam partitus est. Ad diluculum apparebit CCC.LXV.LEGVM NOBILISSIMAR. FLORILEGIVM: Has à Cæsare olim collectas, ex ruderibus Panthei, ubi Agrippa dedicaverat, apud S. Fontem eruerat. Primâ luce ORIGO HISTORIAQ. IVRIS revelabitur. A Caroli Criminalibus ad Friderici Feudalia hanc intercipiet, tum Justiniani repetitiones; inde Honorii edicta; porro Domitiani consulta; postremò ad Cæsaris analecta; ab hoc ipso, per Decemviros, ad Romulum inde Æneam, mox ad Veneris cum Sole concubitum, sic per peridos ad ultimum supplicium. Ad meridem apricabuntur RERVM VERBORVMQ. SIGNIFICATIONES. Surreptus ex vetusto M. S. commentarius, mutuatis ab Oscis, Faunis nitidis loquendi formulis præclarissimus. Est quem ex Arabia olim Abenroës impetraverat; Mithridates Carras transmiserat, qui, post Bella cum Romanis patrata, linguarum omnium juriumq; habebatur scientissimus. Inde cæsis legionibus, Orodes Babyloniam transsportavit. Ope Taperobanensium Legatorum ad extimam Arabiam subductus: hinc ad Hispaniam, & post multijugas per Scythas, Cambros Celtiberosq; migrationes, tandem à Bucephalo ad Gryfios delatus est. Ad Crepusculum AFFINITATIS & CONSANGVINITATIS GRADVS & GENERA, repetito á Dione per Hectorem ad Agamemnona stemmate, placidè consopientur. Ad primum Gallicinium JVRA SUCCESSIONVM AB INTESTATO, ex novella CXVIII. de in-iusta rei alienæ occupatione, quæ subductione fit, ex asse participabit.

His

His in oblectationem dictis, liberaliter satis exultare Genium, cum animadverterem, sermonem confidenter producebam. Atqui hi quidem laudabiles ejus conatus, *dicebam*, quibus adjutum ire ornatumq; decora sua voluit communiaq; studia. Scatebunt isthæc volumina doctrinis omnigenis, *quòd, ob argumentorum pondera, ClariS. Virorum subsidia, è variis remotisq; lectionibus* elaborata sint oportet quâm diligentissimè. Cognovisses hæc omnia & majora complura, si admisisses advenam: nunc ex his modó dictis, facias judicium, de subsequuturis cum ætate Prodigiis. Adhæc *Genius* animo irritato indignabundus: Vach! quis crederet? vach ambitionem hominum vafritiemq;! Cedere majoribus debemus neq; ego inviderem, mirarer magis. Istud verô dolenter habeo quòd ubi Didactici isti promiserint, aut intergarriverint aliquid, Beneficio ducatur; nostrates profestorum instar protervè condemnentur. Vellem penitiùs cum illo Pædagogulo sermocinatus fuissem: hoc prætermisso æq; nobis constat

Ædibus in nostris, quæ parva aut recta gerantur.

Ego pendulus animo, quid lœto vultui cum minacibus verbis? mecum expendebam. Nihil mihi cum Didacticis, cogito; irascatur illis mihi modò dum cupiat. Et occasionem dicendi nactus, haud sine commoti animi contestatione longiùs provehere instituebam: Neq; his terminis stetit novorum Philologorum versutia: animis viribusq; eò crevêre, uti rerũ omnium usus artesq; in illorum veluti manu sitæ essent. Res gravissimas præpeditissimas aggrediuntur, vim atq; impetũ omnibus scientiis, omnibus possessionibus inferunt. Nupertimè AD GALENUM dispunxerant annotationibus. Nuperiùs in libros Sacerdotum ubi lemma DE POTITIIS PENARIISQ. EPULONIBUS, idem tentarunt. Nescio an pio officiosæ persuasionis consilio? certé dubitarim.

Namq; virum medium serpens sub pectore cingit.

Quòd

Quòd veriùs, malesuada gloriolæ lascivia, in Megalis Dei Antistites petulans ludibrium, vesanum Livorem obarmavit, ad desæviendum in musas inculpatorum virorum. Fidem abrogare Mystis scientissimis, consonam vetustate interpretationem nova corruptela deturpare. Usq; in suis commentis placent sibi Magones illi, sicuti cœlo Saturnus & Juno irata Jovi reddita esset: Cum præter vanos verborum colores nihil roboris habere multotiens intellexi.

Nihil intra est oleam, nihil extra est in nuce duri.

Medius fidius *Genius* intercipiebat, hîc valet proverbio: Sus Minervam: Anser inter Olores. *Quis adduceretur*, Cicero pro Fontejo inquit; *ut ignotos notis, iniquos æquis, alienigenas domesticis, cupidos moderatis, mercenarios gratuitis, impios religiosis, inimicissimos huic imperio & nomini bonis ac fidilibus & sociis & civibus anteferret?* Nihil veró minùs. Vagentur passim læti, cunctis symposiis, cunctis tabernis passim gloriabundi nemo est, qui non virtute proborum niti atq; larvis malesanorum decipi voluerit. Authoritatem Criticorum potestatemq; non est quòd nobis oggerant. Veneramur antiquitatis morem quo habenæ per omnes scientias laxatæ sunt, quo contẽplationes quasq; ingenio assequuntur acutissimo. Hoc verò ne quivis literatorculus sacrum nomen indifferenter usurpet, & Musarum & Reipub. interfuerit quàm maximè. Sed ita consuevit præcox Didacticus

Contemnit, scit, nescit, flet, ridet, irascitur insectatur carpit omnia.
Ipse Pilosophus, Dæmon, Heros, Deus & omnia.

O! homines numerosâ arte omniscios, qui Græcè qui Latinè ad omnem Camœnam perfruiti sunt! Deus servet hos Pansophos egregio orbis maximo, qui Argonautas superarent vellusq; aureum.

Isthæc quæ Genius dixerat cuncta mecum tacitè approbaveram? attamen explorandi gratia ulteriorem sermonem inescabam. Defatigati sumus *ajebam*, inquieta collocutione, si

quid esum apponeretur, annon esurientes carperemus? Hiant prædam Corvi & advolant ubi spes est cadaveris: Dic sodes mi GenI! quare promiscuis Epulis Epulonibus prohibes Grammaticum populum. Annon Saturnalium licentia & servos olim huc permitti? annon oculos viridariis, ingenium Philologorum commessationibus curari tecum memineris? Excipiebat *Genius*: immò quis non permitteret? præstularentur modò usq; dum togas ponerent Domini, & forenses Domesticas commutare cum cœnatoriis pallis, haud fas esse, recordarentur. Etiam profanos se ne gererent, quando sine micâ Salis & grano mensas integras salsissimè abliguriunt Cynici. *Ego*: De servis

——— nostri majores veluti benè
multa instituère, sic hoc optimè.

Philologorum ordinem hos ne inter Sardos reposueris, quibus ubi, quando aut quantum absumere, nulla cibaria lex ad censum præscribta est. Rectè opinaris *Genius* respondebat: etenim capite censis potus cibusq; semissis abundè suffecerit *Egò*: honorati sunt, nulli semisses. Si quando parciter vixerunt, frugalitate id obvenisse haud penuriâ; scilicet quòd

Malebant tenui contenti vivere cultu.

In Regum Cæsarumq; fuisse amicitiâ non te fugit, quos inter nil nisi ubertas & affluentia. *Genius*: olim vel maximè valuerint apud Attalum nempe Fabrum, vel quoq; apud laudabilē Dionysium Gnatho Aristippus. At nunc ex verbis Tauri Philosophi *videre est, ultrò convenire ut doceant ad fores juvenum divitū, eò ibi sedere ac operiri prope ad meridiem.* Sed de Didactico sufficit.

Iste tibi faciet bona saturnalia porcus

ocyterq; surgebat. Heus! heus Genium *retrahebam* siste gradum: pereat! pereat! porcus: Lauti epulones epulas lautas apetimus, quæ nec cinerem nec sordos quærunt. Si mihi electio datur & votum

Surrenti

Surrenti ellopa fac emas, glaucum apud Cumas. quid?
Brundusii sargus bonus est, hunc, magnus si erit, sume.

Genius: Profectò hæc ne sunt quæ de Africa apportasti nova?

Est pretiosus elops vestris incognitus undis.

Sile mi Adolescens & surge alacriter; ego Theocritæum illud memini

———*Esurienti haud obvius esto.*

Nihil mihi cum Africâ, *regerebam*, ubi monstra illic aluntur. Tarento spargo ostrea, de Thasia nuces, non quales Didacticis sirpos proponis: titillat palatum elargire quæsò. Muræna & Auratus emortui sunt, inquiebat *Genius*; nunc.

Nescio quis vestri miseritus tandem Deus.

Ære laboratis Didactici, ostiatim per vicinos discurrere ne vos pudeat. Valeant inertes, *respondebam*, ova coquant, torreant rapa, Curios simulent! ego mei gratia aliquid ut cures rogo, præsertim cùm fatigatio accedit famesq; *Genius*: Ibimus de vesperâ, exquisitissimis nos expleturi ferculis, postquàm sectam vestram denuò ejuraveris, nostras in partes totus concesseris. Feci & rursus faxim inconctanter *dicebam*; togâq; discinctus, in viam deliciarum me aptaturus, oleum nuctui linteum tersui petebam. Acriter *Genius* in me invehit; & quid agerem? in templo, in comitio, haud in lavacro me cogitarem, ad orationes scribendas haud ad Saturnalia me pararem. Ante cibum, *ait*, lavare, exolevit apud novam Didacticorum familiam; post symposion plenè satura thermas ingreditur. Heu! *dicebam* cuncta ne novo more? *Genius*: utpotè qui semper novat suo ex Genio. Cùm

Omnia noctescunt tenebris caliginis atræ,

temulus per compita, per sentinas cloacasq; squallidas

Delphinus jacet haud nimio lustratu nitore
Cum gemitu glomerat fundoq; exæstuat imo.

Omni supellectile benè lutulatâ, capillo barbâq; sordibus elimato

mato nitidat corpus, quis crederet? pellucet ac si laterna punica, gestam hanc diffitetur ac detestatur fabulam inculpatissimus, Domum redux apud animum resumit famæ vitæq; vicissitudinem; quantocyus uxori mœstissimæ testamento legat Scævola:

SEMPRONIAE DOMINAE MEAE
HOC AMPLIVS ARGENTVM
BALNEARE.

Nolim Florus esse, *subjungebam*, ire per popinas, nolim illa convivia, unguenta, balinea: Habeat sibi sua Saturnalia porcus; argentum supellectilem & omnia ipsi relinquo. nos interim tempus locumq; cœnæ nostræ condicamus.

Vix hæc effatus fueram, rumusculus quidam ingruebat: æquè, non multum temporis confabulationibus restare, *Genius* infit. Convenisse jam Patres, jam salutationibus reciprocis cæremoniis que præludia dedicasse, si quid dicere haberè festinarem. *Ego:* & multa habeo, sed de cœna potissimum. *Genius:* missum fac palatum Brito gulamq; suspende, aliud modo tempus exigit. Denùo revisere me jubebat & pressiùs observare gestuosum, cunctabundum Pontificem. Est ipse natione Gallicanus perhibeat, illustriss. natalibus oriundus, inter Druides ad Tyrocinum primò deductus. Pòst, extra Urbem, inter Titios sodales ad augurria, diligenter quòd excubarat, statim in collegium Saliarium adscitus est. Cùm fragosè inter Alpes cecinisset Mamurium, redux in Patriam, quòd leges Cæremoniarum, fas sacrorum ritissimè calluerat, Pontifex Max. & Sibyllinorum custos factus est. Hoc munere pervigiliter functus, ejusdem moderamen apud inferos obtinuit. Quòd si Senatus de prodigiis & futuris consulere velit, hic cum Decemviris præsto necesse.

Ego screando purgabam ravim, capite jactabar alternisq; pedibus.

in patinâ haud in Pontifice aut tabulâ Longò post intervallo ad animum recurro, & qui ad Pontificem Genius me avocaret, nascentiam ejus omnemq; vitæ seriem prolixè narraret, quum antea habitum ejus abundè rimatus fueram? sedulò mecum expendo. Quô minùs assequebar, eò majus delitescere suspicabar. Et protinus graviter sciscitor, quid Gallicano Sacerdoti in Anglicano Concilio? Adeòne oblitus es, mi Geni, inexpiabilis, utraq; à gente factæ renunciationis? ubi Angliæ beatitudo? ubi Subtilium Nominaliumq; familiæ? Nullusne inter nostrates, doctrinâ sedulâ, religioso ministerio, numen apud inferos munusq; promeritus? Liquet Britannium te esse, *Genius respondebat*, quòd nostram extra Patriam natos sepultos reputas indignissimos. Quos memorasti Numinis munerisq; aucupes, cum viscosis perseitatibus adglutinatis accidẽtibus ad Deam Syriam Sanctumq; Sabatium dudum ablegati Cinædi fanatici. *Ego*: ne cavilleris obsecro; in promptu sunt alii: & ad Baleum, Schmitium, Baconem, Morum, Genium rejiciebam. Morum præsertim, qui Populi orator, Regis Legatus, rebus gerendis, vivus interfuit, moriens terrarum felicissimam Utopiam adiit, mortuus functioni Pontificali dignissimus præficeretur.

Simul hæc dixeram, sublato repente immodico risu, intra se omne comitium personabat, & *Genius* occupatis lateribus, ne cachinno distumperetur, jugiter pectus tundebat. *Ego*, repentinâ mutatione, dedecoris alicujus aut erroris me insimulari persentiens, intra me recedo dicta factaq; sigillatim pensiculo. Omnis vituperii insons, vitii aliquid Genio inesse autumo. Ita evenit cùm hominem oculis maximè intentis contemplor diversissimum à me formâ compositum reperio. Hujus aspectu pudefactus, ne versutiæ alicujus captatæque familiaritatis pœnam darem, illum quomodo á me amitterem,

aut ubi me retinerem anxiè deliberabam. Tantos inter angores jactatum *ille* me hujuscemodi verbis alloquitur: Si libet, adolescens amiciss. ab his curis ut discedas obsecro: & ut liceat, ego te levabo. Quem falsò genium tuum opinatus es, hic ipse Morus est. Ego Cancellarius, ego Orator, ego Legatus; Regi acceptus, Equiti gratus, Populo jucundus. Neq; offecerit contractatæ amicitiæ nostræq; familiaritati hæc dignitas mea. Amplector te mi intime, cunctisq; studiis cunctisque officiis meam in te benivolētiam æternùm declaravero.

Ego humi stratus abjectum animum novas in spes erigo, & quid? cogito: Nascentia est Londinensis, familiâ haud celebris, fortunâ quidem usus fuit prosperrimâ, postremò illam expertus est aversissimam. Et quod præipuum, novâ conjunctione se mihi obstrinxit, tutò in fidem ejus conferre me potero. Quandoquidem ô More dicebam, amicum & intimum me appellas, exosculor gratiam. Cæterùm ignosce impudentiæ, eripe me hac solitudine, &, ni grave sortem tuam nobis expone. Ne sis solicitus *Morus ajebat*, incolumen te reducam. De me verò scias, quòd, quam primùm ad hos inferos demeaveram, Censor factus fuerim. mox, eâdem, qua in vivis, scævâq; sævâq; fortunâ correptus, propter rigidiores notas abdicabar celerrimè. Sic cùm tacitus & immunis agerem, multotiens cavillabantur protervi Philologi. Denique ab Henrico fidei defensore, propter literas, utcunq; apud Plutonem commendatus, solenniter creabar Memoriographus. idq; hac lege, ut ad formulam juratus, citra consensum ejus laudesque omninò nihil perscriberem. Crede provinciam sustineo difficillimam. Nunc quandò per te divulgaverim gestam incoram historiolam, scio supra Pausaniam, supra Horostratum me profanaverint nugevendæ Philologi. Interim recorderis mecum, quòd & Romæ olim scribserint & legerint Amplis. Senatores de Cleopatræ Filio.

Sanè

Sanè vix ac ne vix desierat Morus, æquè de podio surgens, in hanc orationem exponebatur *Cicero*:

Si quis post hominum memoriam orbi universo nobisq; omnibus flebilis atq; acerbus exstitit dies; certè hodiernus legitimus est, quem Superi & inferi, Reges & Consules, quem populus Romanus, quem socii & amici nostri, deniq; hostes barbari & nationes trucissimæ illacrumare coguntur. Et quanquàm, ex communi rerum omnium luctu, maxumum animo meo cruciatum percipio, tamen illud præcipuè jucundum mihi esse video, quod vos P. C. pro vestrâ in Rempub. curâ frequētes admodum conveneritis, & in communis excidii ultionem asperum vultum lœtumq; animum præ vobis feratis. Nunc, quòd jussu atq; authoritate Plutonis nostri mihi deputata hæc dicendi provincia, ad gratias pro frequentiâ vestrâ agēdas, præsertìm calamitates imperiorum narratur⁹, reb⁹ periculosissimis opem à vobis imploraturus, in hunc locum concessi. Verùm cùm non modò longissimum, sed penitus infinitum & impossibile, hæc omnia oratione ad vos referre velle, gratulandum mihi esse video, quód auditores rerum gestarum peritissimos, integerrimos & expeditissimos testes in vestro ordine repererim. Itaq; ergo quem virtutibus præclarissimum, vitâq; integerrimâ super omnem opinionem gloriosissimum, incoram conspicitis Carolum, quid cum illo his

die-

diebus patratum fuerit, quàm innocenter, quàm temerè, quàm turpiter & crudeliter á Civibus suis percuss⁹, imperio amplissimo rebusq; omnibus exutus fuerit, quando ipsimet vidistis, cognovistis in præsentiarum, prætermittere satius fuerit, ne lacrumas vobis excutere velle, animumq; turbare videar, quos incorruptè de rebus dubiis eisq; difficillimis consultatum huc conduximus. Ego sentio quemq; vestrum satis superq; adsecuturum, quàm periculosissimi res sit exempli, eoq; magis ab omnibus providenda, quando summæ Majestatis supremiq; imperii sceptra, sine culpa delicti, sine turpitudinis aut superbiæ noxâ, privatorum vesaniis atq; injuriis, civium cœdibus atq; furoribus, citra præsidium, patebunt innocentissima. Post prodita terrarum imperia, proditam Regum procerumq; majestatem & authoritatem quid superêrit, quàm quod in aras & focos, in muros urbium & tecta, in Jovis ipsius templa, ignesq; sacratissimos desæviat sceleratissimorum perfidia. Tandem eò progredietur istorum ferocia, ut vel omnes illis parere aut ad unum omnes interire necesse fuerit, ubi voluntas deperdita & fortuna miserrima, quantum virium addiderit, tantum sceleris auserint omnemq; audaciam impunè pertulerint. Quã videtis P.C. urbium, civium posterorumq; vestrorum, immo vestramet ipsa & Deorum immortalium agitur causa, à quibus suprema rerum humanarum vobis sũt deman-

demandata gubernacula. Quòd si in omni societate, si in civium sacerdotumq; collegiis ea cura est potissima, ne quid ex juribus concessisq; immunitatibus tantillum detrahi patiatur: quid vobis faciundum existimatis qui in supremo dignitatis gradu Præsides & Legati Cœlitum, ad exercenda judicia, ad puniendam malitiam, collocati estis. Quoniam igitur una eademq; omnium Regum omniumq; Populorum causa, monemus hortamurq; jugiter, ut coitione in vestri patrocinium factâ, cuivis periculo vos potiùs objiciatis, quàm quòd funestum pestiferumq; venenum leniter serpere, vestrosq; liberos atq; nepotes eodem contactu affligere patiaremini. Ne sinite per Deum oro quæsoq; morâ diuturniore in singulis incidi, ad ruinam universorum, authoritatis vestræ nervos; quin potius, quod felix & faustum Regibus omnibus, Senatui, Equiti totoq; orbis universi Populo, jungite vires potentissimas, vindicate vos in majestatem, Carolo & successoribus regnum restituite. Quod ut strenuè faciatis, suus cuiq; animus memor ignominiæ hortator aderit; interim ego, quantum in me est studii viriumq;, ad mandata Plutonis pecuniam, arma, militem in vestri subsidium procuravero. P. C Q. F. P. D.

Finitâ oratione quæ vociferationes, quæ acclamationes audiebantur? *Ego* nimiùm quantùm obstupescebam ad tantam lætiam. Non aliter Tullii sententia à Senatu accepta, quàm si, reddito avito regimine, Flaminius Consul Græculis

ſalutem pronunciaſſet. Verebar icerum, ne, ſi parum dextrè Ciceronis verba ſublegiſſem, obtrectatores Didacticos inciderem. Mi More, *dico*, utinam Buchananum aut Longolium aliquem ſubſtituiſſes! ritiſſimè hunc Oratorem ſubſequi norunt, *ego* miſer ad Tullianas impetuoſiſſimas voces puſillanimis concido. Tum *Carolus* à Principe Senatus primùm rogatus, ut, ſi quid haberet diceret, ipſe cum Umbris duodenis aſſurgens in hæc verba præibat:

Si Fato datum eſt, ut amitteremus imperium, vel naſcentiæ deberetur noſtrum infortunium. Si culpâ noſtrâ regnis noſtris excidimus, clementiores fuimus, quàm quòd ſubditos exſcinderemus. Deniq; ſi ſuperbiâ ſubditorum excutimur, jam infans morti deſtinatus, ſolâ patientiâ meâ ad ultimum ſupplicium ſervatus ſum. Verùm non quid ego fecerim aut commeruerim in diſquiſitionē venire ſentio, ſed quas ego ignominias perpeſſus, iſtiq; pati debeant cives ſceleſtiſſimi. Habitus oris quemadmodum veſtris cernitur oculis, utinam interiores animi cruciatus cerni ſic poſſent! appareret vobis ærumnæ, appareret vobis lacrumæ meæ. Heu nos miſeros! Hucne Opt. Max. Jupiter nos transmiſiſti, ut in ſupremâ fortunâ iniquiſſimam experiremur? Sed majeſtatis veſtræ meiq; imperii nunquàm adeò oblitus fuerim, ut muliebribus ſuſpiriis Regius ſuccumberet animus. Hoc caput, quod diadema geſtabat, funibus obnibitur; hæ manus, quæ ſceptra quatiebant, reſte colligantur; hoc corpus, quòd faſcibus, quod millenis muniebatur civibus, hoc corpus caſtellis

lis & vinculis custoditũ securi infelicissimæ subigitur, à cive seditiosissimo feritur, à manu scelestissimâ abjicitur. Accede carnifex & impurissimo spiritu regis tui sanguinem pollue. Ito lictor suspende regium caput, expone sacrata viscera in spectaculum in ludibrium factiosorum fœdissimorumq; Civium. Vach! decus, fides, pietas honesta atq; inhonesta omnia ferociæ cesserunt. Videte P. C. ne per suborientem hunc morem ulteriora detrimenta majestas nostra capiat. Præfigite armis vestris hæc viscera mea, Sequimini pro vexillis hæc funera mea. Ostendite, quòd, contra Britannos meos an vestros subditos, pro vobismet ipsis an posteris meis pugnetis, idem à vobis ultor gladius feratur.

Hunc in modum conciteti, solicitudinem suam respicientes, omnibus curilibus fletu ac luctu exasperabantur *Patres*. Nunquam, credo, hac salva curiâ tantum pavoris atq; tumultus intra comitium fuisse. Utiq; auribus aversis oculisq; comparabam inter se duodena, quæ Carolo assistebant, simulachra.

Et statim subibat animum Britannos esse, quòd sciveram ex omnibus retro Regibus tot tantosq; varia subditorum violentiâ occubuisse. Deinceps nescio quis Philopœmon dicere jussus; certe apparebat talis, de quo rectissimé Poeta:

——— *Vultu destruere verba suo*.

Satis equidem comatus, nisi brevibus hispidisq; setis stetisset, barbâ villosus & bifidus, rugis porisq; exesus, naso acuminatus aduncus, verbo dicam Marcrocephalus Hic silentio facto, in hæc verba voluntatem suam declarabat:

Quæ hodiernúm in sententiâ potestateq; vestrâ ver-

ſatur P, C. tanta eſt cauſa, ut omnium poſterorum ve-ſtrorum dignitas, omniumq; civium ſalus, ut divina humanaq; omnia in diſcrimen agantur. Adeòq; cùm omnes eadem appetere, eadem à nobis amoliri, eadem metuere debemus, providendum eſt ſedulò, nequid in amore & ſolertiâ noſtrâ deſideretur. Percuſſum modò Carolum, & in hoc ipſo liberos, adoleſcentes Regios extorres, egentes noſtris oculis conſpicimus. Ne ſinamus graſſantem hunc morem inultum tranſire, quin ocyus armis correptis ſociatisq; finitimis Britanniam invadamus, bona ſeditioſorum dirripiamus, & unâ veluti manu reducamus hos Carolos. Ego, utcunq; fortunâ mea relictus, ope & conſilio me adfuturũ, ab Hetruſcis atq; Latinis auxilia impetraturum, me condixero. Sed quæsò P. C. quæ crudelitas Carolos, quód eadem ſævitia Tarquinios afflixerit, neminem veſtrum neſcium puto. Exantlatos labores, patrata pro Rep. bella, beneficia in eandem collata memorare ſuperſedeo. Modò rabiem civium meorum, quæ matronas luctu, quæ Rempub. Tarquiniorũ nomine interdixit, expendatis rogo. Modò Sixtum, Lucium, Aruntem apud Gabios, Vejentes, Latinos exules & extorres ut reſumatis obſecro. Indigetes, Juventa & Terminus ſiſto vos teſtes. Hanc arcem, & hac manu fundatum, adjuro capitolium. Vos Patres per conſcribtorum numerum, per Remi ſanguinem, per Romuli Numen

obteſtor

obtestor quæsoq; si quid justum & æquum contra Britannos statuitis, ne me, Patriam suam suumq; regnum suosq: Tarquinios repetentem, in caussa parili deseratis & hi, quos voto meo assurgentes videtis, obsecrant.

Hac miseratione cùm viam obsepserat *Tarquinius*, ex Hatruscis & Sculis, ex Sporadibus & Cycladibus omniq; Græcia Tyranni consistebant plurimi, bellum apertè moliendum clamabant. Tales mihi *Morus* singulos notabat; & porro ajebat: specie quidem pro Majestate Regumq; innocentiâ pugnam deposcût, reverâ in propriam vindictam & spem commodi novos animos efferunt. Varios vultus in Senatu cernere erat, prout quemvis pavor & gaudium alienasset. Intercessit res alia parva dictu, sed quæ variorum studiis ingens in certamen excessura videbatur. Scilicet *Manlius Capitolinus* pro Tarquiniis sic suadebat;

Quandoquidem justitia & innocentia pari tenore spectandæ veniunt P. C. cogitationem cognitionemq; advertere ad lacrumas ad exilium Tarquinii nostri decentissimum sentio. Si enim peregrinæ calamitatis misereri humanum, certè adversus vim atq; injuriam sanguinem nostrum tutari humanissimum ducite. Tarquinius est, qui Sixti libidine regno prolapsus, mali nihil adversus suos commiserat. Quare cùm noxios non egrediuntur pœnæ, satis apud Gabios Sixtus jâm eluit: hunc Patrem, Sanguinem & Amorem nostrum censeo p̄ræ cæteris amore nostro dignissimum. Post cum Caso transigere optimum visum fuerit.

Anceps oratio promiſcuis faventium adverſantiumq́ ferebatur ſententiis. Maxima pars manus ad Capitolium tendere, priusquàm Carolo auxilium decerneretur, liberos fratres, cognatos ſibi reddere flagitabat. Ego itidem has querimonias ex animi ſententia reputabam juſtiſſimas. Tum impetrato ſilentio turbulentum Manlium *Appius Decemvir* hoc ſermone compeſcuit.

Quibus iniquitatibus preſſi fuerimus, P. C. tacitè deplorare glorioſius æſtimo, quàm rebus deploratis intempeſtivam opem exigere. Perpeſſas calamitates ſi quisq; narrando protraheret, & dies facillimè eximeretur, & illorum memoria fruſtra jactaretur, quæ in ſe acerba, & nulla admittit remedia. Atqui Tarquinium voti participem reddere, eſt cunctos finibus ſuis ejectos reſtituere, ubi nec initium nec finis auxiliorum foret. Quód cum ſervitute vindicta, cum vindictâ bella cepére, & Vectores, Trajanos, Rutilas Auſoniasq; exuvias ulciſci oporteret. Neq; heîc modò ThameſisOceanusq́; Britannicus, ſed Iſter & Padus, Tagus & Ganges, inferum & ſuperum, quæq; maria cruore ruberent. Quid quæsò Tarquinius & Capitolinus aliud ſuaſere, quàm iſthæc nomina recuperãdo orbem univerſum concitare, quàm nos Poſterosq́; noſtros uno præcipitio in exitium compellere. Cœterùm P. C. juſtos & legitimos Reges ulciſci vobis propoſitum ſcio, Tarquinium de ſuperbia & importunitate nullatenus ſpectare. Et de tuis criminibus quid dixerim? O Tarquinl!

quini ! Tune cum simulatis lacrumis veras Caroli componere? tune suspectas reddere auseris? Non sumus nescii, quàm dispari initio, quàm dispari fine res vestræ constiterint. Videlicet primordium turbandi à Tulliâ profectum, quæ contra jus religionis in uxorem ducta, te cupidum in omne facinus impulit. Rapere avitum regnum quàm exspectare quòd maluisti, immissis percussoribus Servium sustuleras. Et ne parta in scelere potestatem benigniùs administrares, insepultum abjicere cadaver superbus, Romulo assimilare irreverens voluisti. Iterum amoliendis periculis peregrino milite stipatus, Senatum imminuisti, Concilium interdixisti, controversias solus dijudicasti. Tandem armatam Juventutem fovere, Mamilio Filiam desponsare, Sixtum impunitum transmittere, usq; ad excidium obstinatus, ad necem usq; inexorabilis perstitisti. Cui ist hæc usui omnia? nisi demulcendis extrariis, civibus supprimendis, stabiliendæ tyrannidi unicè servierint. Resumite personas, causas & occasiones resumite P.C. & utriusq; statum diligenter dignoscite. Tu Tarquini tuq; Capitoline, quandoquidem haud probantur quæ vos dicendo complectimini, utiq; ut dividatis postulo. Ego quòd verba de Carolo ejusq; Posteris facta pro istis censeo.

Inclinatis Appii in sententiam animis, ultro citroq; mecum agitabam crudeles & libidinosissimos Decemviros. Appium præsertim, quòd affectati imperii insimulatus, magistra-

tum

cum impotentissimè gesserat; qui nunc ità acerrimè in Tyrannos concionaretur? mecum perponderabam. Equidem, *Morus* dicebat, inter Tyrannos hoc locorum relatus est; sed quód diem dictum olim non sustinens, necem sibi consciverat, injusta ut causâ videretur, hâc oratione purgare se studuit. Tum *Julius Cæsar* dicere jussus, impunitatem sceleris detestatus, his verbis apud Senatum rem peregit:

Rerum quas gessimus magnitudinem P. C. intuentibus vobis, quin desiderium quietis gloriæq; satietas cuncta bellorum consilia mihi dissuadeat, nemo vestrum est qui dubitarit. Sed quando in hæc tempora devenimus, quibus aut arma corripere aut singulos per innocentiam perire oportet, tacere in præsentiarum, quàm dicere, difficilius sustineo. Et nisi trucidati Caroli miseria vos commotos meq; anxium redderet, vel ipse Brutum ingratum, Cassium invisum, meas has plagas, vestra sub ora protraherem. Proinde optimatum inter factiones plebisq; studia natus & educat[9], peragrato victoriis terrarum imperio, situ regionum viribusq; regnorum & moribus benè exploratis, quodcunq; his meis periculis domi militiæq; edoctus vestram in deliberationem conferam. Cùm veró nusquam minús qùam in bellis exitus respondere, & mutuo contagio nasci trahive dissidia suevère, ut ne uno fortunæ casu omnis Majestas concidat, cautiùs incertos rerum eventus pensitemus necesse. His mecum exactiùs repetitis, nescio quæ factiosa tempestas modernum sæculum invaserit, ut non modò feroces Britanni,

tanni, verùm seditiosus penitus orbis bellum nobis faciendum conjuraverit. Germania est in quâ primùm detonuisse illam sævitiam, postquam intra Hispaniam se continuerat, flexisse in Italiam, subitò in Galliam desiliisse, rursus Illyrico incubasse, postremò ad Sarmatas migrasse, deniq; tanto fragore iu Britannia discussam neminem vestrum id fugiet. Hæ seditiones, utcunq; variis initiis varios inter populos natæ, intra Belgium penè omnes conceptæ videntur. Inde cùm prorupissent, non terras modò confines, sed omnem quadantenus Europam concitare, enervare aggressæ sunt. Quippe de Hispaniâ venturum terrarum Dominum, quando prisco Sibylla prædixerat, libertati suæ metuere dudum Batavia incepit. Quibus verò impediendis impar, his artibus uti voluit, prout quemvis excisorum principum funus cognati sanguinis amor, spes præmiorum & metus periculorum in arma solicitaverat, ut cum illo in societàtem, in fœdera, in bella coalesceret. Quibus ipsis eo redactum, ut alibi fastidio fatigati, alibi diuturnitate fracti prorsus exscinderemur, istiq; successu licentiosi proceribus ejectis, fugatis nobilibus, rebus omnibus ordinatis, invictas vires æternùm stabiliverint. Olim P. C. Dea circumire, quæ cæca spem inter & metum omnes continere, quæ suo pro lubitu provincias elargiri solet; nunc staterâ limites pensiculare, res suas amplificando, Regnum extenuãdo, utri-

usq; fortunam ad æquilibrium exigunt. Et ferme præter vana imperiorum nomina, præter ficta Majestatis simulachra, quid quæso reliquum nobis factum? Italia diffindit, quà terra valemus, potentiam; quà mari dudum perdidimus, quando Belgæ atq; Britanni per undas imperia exquirere, supra Indos supra Garamātes, cū altero sole manus jungere satagunt. Si tempus, si locum, caussas & vires dispicitis, non modò validis Britannis, sed omnibus pænè gentibus bellum minari videmini. Quòd innocentiam pro muro atq; audaciam habetis, feliciter sumsisse vos arma benè persuasistis; sed exercere, sed & ponere demum felicitas erit. Severitate imperatoriâ, facilitate gregariâ, pecuniæ & commeatus abundantiâ, gerendorum occasionibus opus est P. C. si pace bellum, si Majestate contemtum mutare gloriosè proposuimus. Sylvis materiam detrahere, naves fabricare, fabricatas armare, armatas in hostem ducere; milites limitibus tutamini, hostibus terrori lege sacratâ cogere, quantæ molis fuerit, expedite P. C. maturiùs, consulitè, celerrimè rem gerite. Sic pro Carolo ejusq; posteris censeo.

Cæsar authoritate & inveteratâ prudentiæ fama plurimum poterat, tum hac oratione maximam partem Senatus commovebat. Obstupescunt Patres, & ventilatis sententiis tacito conspiratu ora congerunt. Nescio quid secreti Cæsar Tullio in aurem demurmurabat. Fortean cùm ipse ad Senatum retulerat, nunc inclinatis animis discessionem juberet. *Tullius*; Quandoquidem per singulos exquirere longum

foret,

foret, qui pacem censetis illuc, qui bellum, in hanc partem transite. Multi motus, multi impetus hinc atq; inde fiebant: Tandem monitione periculi à Cæsare compulsi, certatim cupidè, certatim trepidè in bellum declinabant. Itaq; censuit Senatus, Plutoni & Tullio pro relatione gratias agendas. Cæsari itidem honor decernebatur, quòd eam rem cum curâ & fide singulari, & sine tumultu, significasset. Jubebat deinde, ut tali formula S C. factum iretur, quæ ultimis necessitatibus solennis haberi sueverat. Videlicet.

CICERO CAESAR ET CAROLUS TRIUMVIRI MAJESTATIS ORDINANDAE CONSTITUERENTUR VIDERENT NE QUID DETRIMENTI ILLA CAPERET CICERO PROCURATUM PECUNIAM APUD PLUTONEM ET AD MOTUS COMPESCENDOS IN URBE MANERET CAESAR OMNES QVI ARMA FERRE POSSENT CONSCRIBERET AUXILIUM A SOCIIS ET FINITIMIS CONTRAHERET MILITI LIMITANEO PRAESIDERET CAROLUS SUIS AUSPICIIS IMPERATOR COLLECTIS LEGIONIBUS IN BRITANNOS DUCERET QVO FINE AFRANIUS LEGATUS IN SICILIAM NAVIGARET CONQVISITIS XII. TRIREMIBUS HISPANIAM PETERET INDE ASSUMTIS VIII. ROSTRATIS AD ITIUM SOLVERET DOLABELLA III. LEGIONIBUS PER GALLIAM EODEM SE CONFERRET SABINUS LEGATUS PER VAHALIM RHENUM VISURGIM ET VINDOS COMPARATIS XX. ROSTRATIS ET XXV. ONERARIIS EODEM TENDERET JVNCTIS IBI VIRIBVS VNA IN BRITANNIAM TRAICERENT.

Numerato rursus Senatu, relectaq; authoritate, æquum & optimum videri omnes clamabant.

Quâ voce auditâ secum interloquebantur *Tribuni*: & *ego* percunctabar, quid plebeis purpuratis cum Patrum decretis? Respondet *Morus*: examinare, an præscribtâ Senatus authoritate Plebis fraudi aliquid ageretur? Mox *Saturninus & Aquilius* inquieti ac jugiter Patribus obliqui authoritatem interponere iubebat. Vtiq; *Gracchus* occasionē dicēdi nactus; pro collegio sic pronunciavit: Hoc decretum haud probatur P. C. utiq; ad deliberandum moram postulamus. Parva res sub moræ titulo fertur, *Morus ait*; sed quæ Senatui tempus & potestatem extractura. Hinc atrox certamen ne enasceretur, occludendi vias, præscindendi occasiones, consilium Patres inibat. Sed quâm exiguo temporis puncto rerum maximarum vertuntur momenta! Saturnino & Graccho secedentibus, cæteri facile sequuntur; & pænè præ foribus dimissis viatoribus *Quirites* suos invocant. Nec mora; brevi, ad stuporem, repletum civibus forum. *Patres* de intercessione deliberantes, cæteris duris, Aquilium flexilem artibus & gratiâ corrumpere aggressi. Interim nullâ ratione adduci cùm poterat, jam insciis Patribus *Gracchus* concionem ferme finiverat. Æq; ad Epilogum *accurro*, qui dicendorum summam hac anacephalæosi breviter indigitabat.

Haud ejusdem in manu & sumere & ponere arma Cum hydrâ Lernæâ componebat bella, quæ, uno resecto, multijugo repullulat capite. Exitus illorum esse ancipites, esse quos nemo spondere vel exspectare possit semper secundos. Imprimis gravem citra & sonticam caussam suscepta infeliciter cedere. Adeoq; hic metuendum, cùm peregrina pericula propugnare,

alie-

alienissimis turbis implicari, tantopere cupiunt. Deinde ex parte Quiritum assumebat statum pacatissimum. Hunc longè latèq; diffuso certamine immutare indignum. Ex successu lucri nihil ad se redundare; ex adverso Rempublicam scelesto cuivis in prædam patere. Interim ager & forum desereretur: ad priscum fœnus, ad prisca vincula redeundum. Olim periclitãtibus sibi auxilium nullinde allatum; periclitaturis nullinde afferri posse. Quid? quòd tanto apparatu Britanniam invadere, at vires suæ dissidiis continuis exhaustæ. Addebât, tempus expeditionis & occasionem prætermissam. Sed & rerum Britannicarum parum se gnaros, nec ullâ hostilitate lacessitos. Patres obliquos caput & summam rerum supprimere, haud sine criminis suspicione læsam majestatem nobis oggerere. Tandem ex parte Britannorum sic partiebatur: Nondum perduellionis adeò convictos, quin publicatis tabulis legitimas species prætexerint. Neq; Carolum omni crimine liberum imò caussâ laborare apud plurimos. Terrebat & istud, quód multis præliis victores fractis fugatisq; regiis armis, rem suam asseruerant; quòd desperato animo in mortem aut victoriam conjuraverant. Deniq; imperiorum mutationem esse fatalem, hanc interpellasse in vanum ludi operam. Postremò his verbis perorabat: Et quid, expendite Quirites, hoc bello quæreretur, nisi interitus cunctis impe-

riis metuendus? Civilia bella rarò servare modum, victores ipsos ad capessenda majora sæpiùs impellere. Occupatâ Britanniâ, si quis provinciis suis adjungeret insulam potentissimam, potentior omnibus, annon omnibus reformidandus? Occultis his insidiis jam olim leges nóstræ & libertas Orbis violata fuisset, nisi optimorum principum feracior Patria optimis consiliis administraretur.

Ad hæc querimoniæ plebis undiquaq; audiebantur; ut hæserant alter alterius injurias tractabat. Sic per proximum quemq; continuos cuneos amplectens tota concione murmur dissipabatur. Quisq; accepta pro Repub. vulnera, liberos impensos, duram egestatem quisq; commemorabat, bellum detrectabat, opem adversus insolentiam postulabat. Cæterùm ætate manuq; promptus, & Mariano favore subnixus *Saturninus*, committendis acriús animis, superbiā Patrum iniquissimè criminabatur. Aliquotiens extremam hominis impatientiam, perversissimam orationem describere instituebam; Sed *Moro* aliter visum, qui præsentia Patrum perculsus sufflaminabat stylum. Intermitte, ajebat; efferveat hic ardor; incedimus namq;

——per ignes
Suppositos cineri doloso.

Ingenti alacritate plebs sequebatur Tribunum omniumq; assensu cuncta probabat. Jamq; intermixtis armatis tota concio ad seditionem spectare visa; qum de vi de injuriâ queruli, formidolosi Patres placidè obibant plebem: monere, orare, desisterent moribus, quiescerent; plus in æquitate rerum Patrumq; solertiâ, quám in armis aut ferociâ Saturnini reponerent.

rent. His & similibus defatigata concio diem extrahebat. Sole occasum parante quisq; domum suam dilapsus est.

Morus ad me conversus, euge! infit,

Nube solet pulsâ clarior ire dies.

Profectò ita evenit, *dicebam*: cogebantur istæ teterrimæ, fulgura, tonitrua verebamur; nunc temperato turbine blandum jubar diffunditur. Tela Samiata acutiùs penetrare, exiguùm obtusa in nodum curvari dicuntur. Pariter Quiritum ingenia primo impetu pervicacissima, modicùm ibi insciderisʼ, flaccescit, marcescit omne robur. Patres de plebe nihil ampliùs solliciti; ecce! ad obeunda munera discedunt impavidi, quòd parata in tempus commodius intercessione, nihil non à Tribunis se impetraturos noverant. Hinc cernere multitudinis ingenia, quàm multa ipsis insint vitia;

Injuriæ, suspiciones, inimicitiæ insidiæ
Bellum pax rursum.

Cautissimè á Patribus actum, *Morus ajebat*, quòd cedere his furoribus, quòd tanta molimina leniter promovere constituerint. Sæpiùs etiam optima suppeditare consilia, pessimis se ingerere, ubi hæc plurimos habuerint propugnatores, apprimè conduxerit. Sed &

—————non solos tangit Atridas
iste dolor?

Cuiq; imponit ultionis cupiditas, & proniùs in vindictam stimulat; quò longiùs abesse alii existimant. O Adolescens multijuga capita dignosce & multijugas causas! Plebem & Didacticos, *respondebam*, ex te cõperui, in omne facinus præcipitesʼ.

Quàm vellem ingelidis montibus esse lapis
Stare vel insanis cautes obnoxia ventis,

atq; has inter beluas & scurras petulantissimos ætatem meam insumere. Attamen spero fore, qui redintegratis animis, jussu plebis accedente, in Regicidas suscipiatur expeditio.

Hoc

Hoc interim dolenter excruciabat, quòd concionari Gracchum me verò abesse contigerat. Orator est, qui præ cæteris vehementiâ, volubilitate, & modulatione à priscis perhibetur præcipuus. Imprimis quæ de fistulâ concionatoriâ dubiâ fide, dubio usu, ad Gracchum referuntnr, hic experiri licuisset distinctiùs, Ex peroratione nihil colligere fuerat, quòd dictio ibi remittere & à pristino habitu desciscere, ut plurimùm solet. Subit animum, *Morus respondebat* prisci moris recordatio, quo isto, hanc fistulam Graccho cum populo agēti præivisse modulos, certum est. De modo & fistulatore mihi planè obscurum, nedùm Ciceroni satis planum fuit. De usu perquám res est obvia. Scilicet volubilem & rotundam Dictionem Gracchus cordi habuit: hinc ad sonum Numerum & Syllabas pensiculasse crediderim. Quod ipsum de Græcia revocatum autumo, ubi Principes quiq; & Optimates tibias inflasse honori duxerunt: Themistocli Asiæ victori fistulas ignorasse turpe habuerunt. Neq; ob gratiam artis aut excellētiam, id factum æstimo, cùm Pan fistulam invenisse, & Pallas ob oris deformitatem abjecisse legitur. Et quis non cum Xerxe confligere, Piræum & Athenas munire, quàm tibiis canere gloriosius judicaverit? Sed neglectâ aut spretâ tibiarum disciplinâ, parùm popularis, parùm eloquens habebatur: idq; dedecori cessit. Quòd Epaminondas cum imperatoriis laudibus & philosophiæ studiis Musicam, id est afficiendi ac persuadendi rationem, conjunxerat, collaudatur maximòpere. Unde rursus Epaminondam insigniter adsequuntur novi Didactici. Digitos inoculare tibiis, adhærere fidibus, harum ad tonores periodos, conformare & vocem, pueros edocent. Egregiè novo compendio novo concentu, truncatam, obduratam, restituunt, consolantur Eloquentiam.

Ego cunctis rationibus diligenter perponderatis, còntracto vultu; quæ adducis specie firma sunt, re evanescunt. Sub.

ind

indeacriter Morus me ſtimulans, ſubitò ſilentium ſervarem, imperat. Heic inter ambulacra obvius nobis *Pontifex*. Cui eminus de viá diſcedendo, cominus illum conveniebat *Morus*. prolixiſſimè dedicatis Cæremoniarum primitiis, hoc modo alloquebatur: Indignæ ampliſſimo conſeſſu acciderunt procellæ poſtquám periculoſiſſimas undas ſulcavimus. gratulor, quòd in portum reducti tranquillè pedem hîc figimus. At ſcio, Maxume Pontifex, fruſtra inſumti temporis pœnitere te admodum, quum operâ tuâ hodiernùm haud uſi fuêre Patres. Ita ſe res habet, mi More, *reſpondebat*, prænavigavimus: iſtam Charibdin, modo ne in Scyllam incautiùs incideremus. Vidiſti Aquiliũ per preces usq; im̃obilem; vereor, propter inveteratas cum Cæſare inimicitias, unquam Patribus indultu rũ. Libros adire hodie haud juſſi, neq; id magis intercurrente hoc ſtrepitu, quàm quòd prodigia nulli inde nunciata ſunt. At *Morus*: Sat prodigii ex plebis certamine; iſtud triſtiſſimam expeditionem ominari videtur. Ad quæ *Pontifex*; Dicis quid: nec ego aliter augurarer; Sibyllinos ſi inſpexiſſem certiorem te redderem. Tum *Morus*; Scio extrà S. C. citra Decemvirorũ conſenſum adire hos libros fas nunquam fuiſſe: Numquid hac in ſolitudine ſine comitatu, ſine arbitris inſpicere piaculũ foret? Nos veluti joco deſignati Duumviri, ad priſcum ritum ſacra, facturi nos ſiſtimus. Curæ noſtræ fatalia hæc regni pignora penitùs concredita ſunt, *ajebat Pontifex*; abdita religionum pròfanare, proſtituere indecens, Nihilominùs tenacem ſe initæ, ſub Henrico Angliæ & Ludovico Galliæ, ſanctioris amicitiæ: nos ſecedere juſſis, ſe id præſtiturum affirmabat.

Obtemperare paratiſſimis perplacebat nobis reſponſio. Et Morus in omnes partes circumſpiciens, in me pronus, ſodes! ajebat, quòd operoſiſſimè expetiiſti,

——— *Fatis accede Diisq;*.

At *ego*: Ædopol repulsam tibi verebar More; nunc quum facilis in te & officiosissimus Pontifex, excogitemus properè, quid præterea de futuris elicere saluberrimum. Haud diu inhæsurus est, subicit *Morus*: quærenda mecum dispexi, revertamur ocyssimè. Interim servi nomine tu mihi veneris: gere te in omne obsequium promptissimè. Quo vix dum dicto spe citiùs rediit Pontifex, hoc carmine retulit nobis;

Acerba fata Britannos agunt
Scelusq; Stuvvartæ necis
Ut immerentis fluxit in terram
Sacer nepotibus cruor.

Uterq; hâc voce reprimebamur. *Ego* verò de industriâ lætum vultũ compono quòd Regicidis semper transversus, & nunc inter Servos transcribtus illud Plauti continuò respiciebam;

— — — *Plus scire satiùs*
Quàm loqui servum hominem.

Moto in religionem animo, *Morus Magno curarum fluctuat æstu*; dira renunciari, & quomodo averruncari possent ingruentia mala Pontificem interrogabat. *Responsum est*: primò omnium placandos Regios Manes; lustrandum universum imperium, Fortunæ & Genio Majores Hostias cædendas. Tum Chalidoniæ Deæ lectisternium & supplicatio faceretur, & propter Juventam justitium indiceretur. Tandem Jovi Hospitali Max. & Opt. Consivæ cc. pondo auri donum in Celtiam portare; Jovi Feretrio & Junoni Sospitæ campos consecrare, vota suscipere, si in annos complures Respub. in eodem statu mansisset.

Sis mihi propitiùs, ô Pontifex! *Morus pergebat*; & quandoquidem tanta pericula patriam meam circumstant, anxium, exanimem eripe me hoc cruciatu, & quem ad statum venturum hoc Regnum impensiùs edoce. Hetrusca & Thessalica myste-

mysteria, Ægyptiaca & Babylonica sacra callere te te novimus: conquiras isthæc carmina, & de Superis responsum, ut recites. supplex te adoro Cœlitum Antistitem. *Pontifex* profiteri se hanc artem colendi Deos & percontandi pergnaram: sed Mori gratiâ temerare sacra ferocitatem, ipsi futura detegere vanitatm perhibebat. Deinde subsistere nos jussis, ac si furore correptus é conspectu antra versus perniciter avolat. Paret *Morus* & divinitùs aliquid accidere præsentiens, me subsequi præmonstrat. *Ego* pedibus manibusq; per avia reptans, inter paraturam deprehendo Pontificem ; & appenso desuper saxo quid rei foret, obliquo aspectu recubus operior. Arreptam Secespitam per jugulum hostiæ profundè adigit, & ebullientem sanguinem per aram respergens, cæsum caput in discum reponit. Confectum ex immolatione libum, peculiari Charactere insignitum, deterso spongiolâ jugulo, desuper immittit. Mox admurmuratis precibus fulgetrum ingens terram aramq; cœlitùs tetigit, & horrendo stridore truncatum caput hiulca verba defremuit. Teterrimo inquietatus spectaculo, natibus obversis, præpostera fugâ furtim me subtrahebam: ad Morum recurrens, ad deliquium pusillanimis corrui. *Morus* visorum inscius anxitatem meam sublevare parat: insimul appropinquans *Pontifex* conantem interturbabat. Et quid? transegi paululum in antro, *ajebat*, inibi adornatis sedulò ritibus hanc vocem accepi:

Mars, puer, alecto, virgo, vulpes, leo, nullus.

Percepi exitum rerum *Morus* infit: & quòd gratiam hanc sibi fecisset, deprædicatis ejus laudibus, itidem in omne officium se paratissimum pollicebatur.

Rursus eblandiendæ certitudinis caussâ hujusmodi sermonem *auspicabatur*. Fidem adhibuisse oraculis impium & vanum perhibetur à plurimis, quòd Dæmones maligni intervenerint

venerint ejusmodi negotiis, & dubiis respõsis fidem ambiguam culpaverint frequentissimè. Sed Pythiis virtutem divinam inesse, olim creditum, quam adhuc in plurimis reperiri persvaderer facillimè: præsertim cum viros innocentiâ teq; Pontificem sanctimoniâ conspicuum istis operari intellego. Hucusq; *ego* tacueram, ne lingvâ intempestivâ noxam contraherem; nunc tempus dicendi ratus: cave tibi, ô More! ajebam, ab incantamentis dirissimis, ne vim eorum experiaris, quam ego his oculis, his auribus passus sum in Deos, in homines iniquissimam: Quo sanctiore religionis velo, antistitis persona obtegitur eo graviore impietatis arcano profanatur. Cætera enarrare cupiebam; sed angustia temporis à Pontifice præpeditus obticui. Iste in hunc sensum Moro *respondebat*: Reverá nunquam satis mentem nostram in ambiguos actionum humanarum recessus intendimus. Etenim quòd rationem infallibilem ubiq; exigere, ubiq; ad Lesbiam pertinaciter disserere, speciosi Doctores insvevimus, eô ipsô rebus naturalibus obvolutis, interiorem illarum operationem curâ nostrâ abjicimus. Sed de occultis rerum potestatibus, de recondito astrorum in actiones humanas influxu, indeq; istis necessariis, contingentibus, & fortuitis minimè conveniens huic loco lis est. Tantummodò genera præsciendi futura, licita & nobis usitata breviter pertexere. Prodigiosas & fortuitas supersedemus, etiam illas prædictiones, quæ ex plantis, metallis, animalibus, caussis incognitæ, sed eventu probatæ conferuntur experientiâ. Itaq; primo occurrunt Peripatetici, qui antecedentibus, consequentibus, exemplorum parallelis; insudant calidè, indeq; frigidas conjecturas capere assolent. In quo ipso prædictis Peripateticis Stoici perplacent, qui istum modum & vanum & molestum reiciunt. Molestus est quód, ut cautè & curiosè consociatis multis historiolis trepidè semper conclu-

concludimus. Vanus est; quòd propter historiarum imperfectionem, circumstantiarum varietatem, convenientiæ & differentiæ implexum, ex dispariter paribus impotenter conjecturemus. At Stoici certiora spondere mihi videntur, qui ab actionum humanarum officinâ, amore & odio, Perturbationum primordia arcessunt. Hinc deliberationem, ut legitimam vel illegitimam, per nostræ & adversæ partis antecedentes consequentes actiones uno obtutu comprehendũt. Tũ rerum gestarum ordinem, nexum, consursum, defectum caussarum mutuò se compellentium, per certos cancellos sibi disponunt. Deniq; astra respiciunt, lucem, flexum, conjunctiones occulto tramite ad actiones suas derivant; his junctis indubitatò futurum prædicunt Valdè verò ab illorum sententiâ abhorrendum video qui sidera explorare impium, & Dæmones nescio quos fœdissimos stellulis purissimis affigunt. Quasi hi ipsi visum nobis fascinantes, bona malaq; confictum, formas qualescunque, obicerent. Ipse Pan natura malignus, amore sui superbus, quòd cultum divinum sibi conquirat omnibus notum; & obvenire id posse præstigiosâ arte, è doctis nemo negaverit. Sed de rerum cœlestium legitimè peritis, & omni fascinio inculpatis, nunc sermo est. Deinde invidus est Dæmon, haud suppeditaret salubria rebus humanis consilia. Utcunq; in deceptionem id fieri dixerint, aliquem unum decipiat, millenis salutare profuerit. Quid veró quód libris sacratissimis inspectare cœlum, rerũq; opificem exinde venerari jubemur? Quô bruta animalia cotidiano aspectu, eodem & stellæ nobis veniunt. Et quis non ejusdem in potestate illas creare diceret, in cujus pecudes. Neq; majoris habuerim per istas temporum vices distribui, quàm quòd appetit aut respuit, movetur aut quiescit animalis facultas. At verò per astrorum influxum in hæc inferio-

ra. Microcosmum præsertim, gradus facultatum, dependentiam caussarum comparare, dignoscere in infinito, quod per cuncta vagatur, Deo uno animum oculumq; figere, omnem cognitionem figere, hoc esse cœlum aspicere dixerim. Id quod omne vacillans corrueret, si Dæmonibus glaucomate fascinare concesserimus. Virtutem, quam Pythicis cryptis inesse putas, malignam fuisse, prorsus liquet. De caussis cur ambiguè & falsò oracula edixerint? Plutarchus te docebit. Nunc verò sicubi de futuris contingunt prædictiones, ab impetu naturali aut afflatu divino id repeteres nollem. Potiùs existimo, solennibus aut obreptit iis formulis Genios suos adjurare, qui diris hisce incautis verbis corpore suo emoti, alicujus Divinitatis participant: modo post verso, illicito, utut citra obligatum cum Dæmonio commercium. Tandem, quas rebus perquirendis impenderet, proprias artes prolixè exponebat Pontifex. Esse retrusissimas, in quas pervigili in Deos cultu, fanatico raptu, sacrato carmine se provectum asserebat. Ne contaminarentur profanis auribus silentio, obtegere decreverat.

Sed ut omnem de eventus certitudine dubitationem tibi eximam. More id quod, *pergebat* in arte nostrâ difficillimum Cœlum deponere, astra in coram attrahere instituam. Saturnum Planetarum summum & sagacissimum tibi sisto, cujus ab ore divina responsa futurorumq; seriem impavidus excipias, mitissimum pecus ut ingrediatur, compellam. Arrepto fatali bacello certum spacium describit, quod intra nobis coactis, *fracta* lauro, recitato carmine, quod hic referre haud attinet, gilva flamma emicuit. Hæc in nubeculam conglobata signum Saturni rubeis lituris exsignatum fovebat. Mox dicusso fragore proreptabat, pennatum pecus, de grege forsit Epicuræorum, rigidus asinus. Ore pollutus, labiis pēdulus, crure & tergo sordidus, multo verbere ruptus, planè

admodeſtiam compoſitus, ſeſſorũ ſuum patientiſſimè ferebat Quadrupes. Vach quale hic portentũ! inſidebat Saturnus falce munitus, crudelitate in fœtus quoſcunq; horridus, neglectis habenis caudā ore mordebat tenaciſſimè, pilos vellebat impetuoſiſſimé, poſtverſè moderabatur ſuum jumentum. Et neſcio quis centaurus per inguina & obſcœna, ad gradum expediendum, brutum illud ſtimulabat, vellebat pullarius. Ecce! Morus mihi inſuſurrat: inſeſſor ipſe & aſinus de Cretâ allatus, ibi Minotauro & Aſina prognatus, uno corpore bifidam exhibet ſpeciem.

Phyllidos iratos in caudam conicit ungves.

Potiùs diſceret, quid apud Sertorium proverbio: Caudæ pilos equinæ paulatim vellere. Ipſe vero Copreanus, partu poſtverſo editus, parentem æmulatur perſonatus Agaſo. Ego &m ei & ſilentii oblitus vociferor: Hicne? qui

Magna petit Phaeton, & quæ non viribus iſtis
Munera conveniunt.
Monſtrum informe, horrendum, ingens, cui lumen ademtum.

Quâ meâ vehementiâ percitus Saturnus perniciter in me involat, tundit falce, impetit calce, fremit, mordet inclementiſſimè. At ego miſerâ voce ejulo: Quid mihi tecum Bos Cornupeta, Aſine Calcitro; ſimul atq; fugam capeſſo. Retrahebat me Morus mane ait: etenim roſis commeſtis in hominem exibit informè & Dæmonii inſtar futurorum reddet te perſcium, ſtupidum pecus. Habeat ſibi, ajebam, & ſcientiam & ferociam cum iſtis ſordibus,

— *Obliqua metuendus acumine cauda.*
— — *Manet hæc ab origine mundi*
Fixa dies bello! populiq; in prælia nati.

Nihil præter præſentia, præter vulgaria nihil ſcire, mihi feliciſſima vita. Inſequebantur me petulci Philologi, Didactici, Fabulatores etiam & Satyrici á quibus excuneatus Mannejus nomen & finem inveni

SATYRÆ.